FRID. SAM. DE SCHMIDT ... DISSERTATIO DE...

Friedrich Samuel Schmidt von Rossan

Digitized by Google

6
3-D
67 M

… allemand 1828

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
1 I
5

I 6-3-D-9-4
18
A

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FRID. SAM. DE SCHMIDT,

DOMINI IN ROSSAN, SER. PRINC. MARCH. BADA-DVRLACENSIS CONSIL. LEGAT. INTIMI, ACAD. R. INSCRIPT. PARIS. LVGDVN. MONSPEL. TOLOS. NEMAVS. MASSIL. SOCIET. ARTIVM ET ANTIQV. LONDIN. GOETTING. LAT CAROLSRVH. BOICAE, CORTON. RECVP-PATAV. LVCCENSIS, VOLATERR. BASIL. BERNENS. SALOD. SOCII.

BIBLIOTECA NAZIONALE C. V. E. ROMA

DISSERTATIO DE SACERDOTIBVS ET SACRIFICIIS AEGYPTIORVM

QVAM
ILLVSTRISS. ACAD. REG. INSCR. ET LIB. ARTIVM LVTETIAE PARIS. PRAEMIO DIGNAM IVDICAVIT A. MDCCLXIV.

TVBINGAE,
APVD JOH. GEORG. COTTAM.
MDCCLXVIII.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA
Digitized by Google

Quæſtio his inſtituta fuit verbis:

Les différentes Claſſes des Prêtres Egyptiens; les Marques extérieures, qui les diſtinguoient des autres habitans, & qui les caractériſent ſur les monumens; les Fonctions de leur Miniſtére. La Nature des Sacrifices, qu'ils etoient obligés d'offrir aux Dieux.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

Argumenti pertractandi Gravitas probatur ex ſumma Antiquitate Sacerdotum & Sacrorum Aegypti Rituum.

Quæſtio ab Illuſtriſſima Academia Regia Inſcriptionum & Liberalium Artium Lutetiæ Pariſiorum propoſita de illis agit ſacrorum Miniſtris, qui ſcientiarum antiquitate gentes præſtantiſſimas, ſuperſtitione omnes vicerant. Qui jure gloriabantur omnes illos Græços, qui aliquam ſapientiæ laudem meruere, regionem ſuam, primam Mundi ſcholam, adiiſſe, commerciaque ſuà diligenter excoluiſſe. *Sacerdotes enim Aegyptii*, auctore

A Dio-

Digitized by Google

DIODORO SICVLO pag. 107. *a*) *Orpheum, Muſæum, Melampodem, Dædalum, Homerum Poëtam, Lycurgum Spartanum, Solonem Athenienſem, Platonem Philoſophum, Pythagoram Samium, Democritum Abderitam, Oenipodem Chium ad ipſos adventaſſe e ſacris Commentariis referebant* *b*).

De Sacris illius gentis agendum eſt, de qua ex GENES. XLI. 45 & 50. conſtat, illam ſam Joſephi temporibus in Vrbe, ad honorem Solis condita, Sacros Miniſtros in magna dignitate collocatos, habuiſſe. Qui GE-

a) Conferendus idem Scriptor p. 110. Jamblychus in V. Pythag. p. 9. Clem. Alex. p. 203. Plutarchus de Iſide p. 354, qui ait: *Græcorum ſapientiſſimi Solon, Thales, Plato, Eudoxus, Pythagoras, & quorundam opinione etiam Lycurgus in Aegyptum venerunt, & cum Sacerdotibus verſati ſunt. Ab Eudoxo quidem Chonuphin Memphiten auditum fuiſſe ajunt, a Solone Sonchitem Saitam, a Pythagora Omuphin Heliopolitanum.*

b) Eruditis iſtis Aegyptiorum Sacerdotum Auditoribus multi addunt Theodorum Meliteniotem, Pherecydem Syrum, Thaletem Mileſium, & Anaxagoram Clazomenium.

Digitized by Google

GENES. XLVII. 22. in ſumma antiquitate, & totius fere generis noſtri præter Aegyptum barbarie, ad tantum excrevere numerum, ut illis ad ſuſtentationem quædam Regni partes a Principibus adſignatæ. Qui jam tum Somnia explicare, ac Magicas Artes facere conſueverunt. GENES. XLI. 8. EXODI VII. 11. Qui vetuſtis temporibus Iſraëlitis plurimorum rituum, & præcipue condendi Vituli Aurei, illudque, Sacrificiis ac comiſſationibus colendi, auctores fuere.

Dicendum de feſtis Diebus, Pompis, & Sacrificiis Aegyptiorum, de quibus ita ſcribit HERODOTVS p. 111. *Certe Aegyptii principes fuere Conventuum ſacrorum, & Pomparum & Abductionum, ab iis talia Græci didicerunt c).* Et pag. 90. *Tradunt Aegyptii, ſe omnium primos Diis Aras, Simulacra, & Delubra ſtatuiſſe.*

Diſſe-

c) Aegypti Regio, in qua Nilus coloni vices gerit, potius quam ulla alia, feſtorum dierum multitudinem, ſine magno damno ferre potuit.

Digitized by Google

Differendum de Sacerdotibus Gentis, auctore eodem HERODOTO pag. 102. & 113, omnium religioſiſſimæ, ſuperſtitioſiſſimæque, quæ præter Deos etiam illorum effigies, delubra, aras, & iſtorum Miniſtros maximis adfecit honoribus *d*).

Diſſertationis Diviſio.

Et quia tam gravis eſt iſta Quæſtio, miſſo omni longiore præfamine ad illam accedo. Inquiram itaque primo loco in ea, quæ generatim de Sacerdotibus Aegypti, & de communibus illorum Inſignibus monenda videntur. Pergam dein ad ſpecialia Munera Sacrorum Aegypti Miniſtrorum, ad varias illorum, quæ hinc oriuntur, Claſſes; ad diverſa iſtis Ordinibus propria Signa. Subjungam tandem conjectationes meas de origine,

d) Ill. Comes de Caylus ingenioſa conjectura magnam illam copiam Imaguncularum Sacerdotum Aegyptiorum, quæ quottidie eruuntur, non modo ex honore Sacerdotii explicavit, ſed etiam ex more ſuperſtitioſæ timidæque iſtius gentis Sacrorum Miniſtrorum effigies mortuis, ut φυλακτήρια, adponendi.

Digitized by Google

origine, natura, ſcopo Sacrificiorum inanimatorum, animatorumque, quæ in Aegypto locum habuerunt.

Et cum ea ſcribam ætate, qua Philoſophiæ lumen tandem gliſcere videtur, pandam ubique, quantum potero, origines, & progreſſus Superſtitionum infirmi humani generis in rebus ſacra ſpectantibus; fuit enim Aegyptus, eaque fere ſola, omnium ſcientiarum, plerarumque artium, paucarum quarundam veritatum, & innumerorum errorum antiquiſſima ſedes, mater fecundiſſima. *e*)

Sacerdotes Aegyptii peculiarem iſtius Gentis conſtituebant Tribum, multa jura poſſidentem, ex certis familiis conſtantem.

Statim atque Aegyptii ſibi Numina adoranda ſumſerunt, & loca quædam iis ſpeciali

e) Hieronymus ad Fabiolam p. 63. *Mihi videntur Aegyptiorum primogenita dogmata eſſe Philoſophorum, quibus deceptos homines, atque irretitos tenebant.*

ciali conſecrarunt modo, circumſpiciendum fuit de Viris, qui Deorum, Templorumque curam gerere & in ſe ſuſcipere vellent; ac cum his, ob ſingularem præcipue Sanctitatem, quæ a Miniſtris Sacrorum requirebatur, ſummos honores exhiberent, contigit, ut peculiare Civium ſuorum corpus, & integras familias ſacro Ordini deſtinarent; quibus, ut cœleſtibus unice vacarent rebus, terreſtrium eximebatur cura, porrigebaturque, quidquid ad ſuſtentandam vitam aptum videbatur & neceſſarium.

Auctore itaque STRABONE L. XVII. p. 1135, omnes Aegyptii in tres tribus fuere diſtributi, quarum una militiam, altera agros colebat, tertia vero ſacris rebus operam dabat *f)*. HERODOTVS autem ait, omnes Aegypti incolas in ſeptem Claſſes fuiſſe diviſos, Sacerdotum, Negotiatorum, Militum, Paſtorum, Subulcorum, Interpretum, Mari utentium. DIODORVS SICVLVS

f) De variis Diviſionibus incolarum Aegypti videndi ſunt Interpretes Diod. Siculi, pag. 85. T. I.

LVS tradit quinque fuiſſe hominum genera in Aegypto, Sacerdotes, Milites, Paſtores, Agri Cultores, Artifices.

Vtcunque autem ſe habeant variæ iſtæ Diviſiones, ubi pro lubitu hæc vel iſta claſſis poteſt ſub altera comprehendi, illud ſaltem negari nequit Sacerdotes, Milites, & Agricolas, fuiſſe tria ſumma hominum in Aegypto genera; uti vero in univerſum in ea regione non licuit filio aliam artem facere, & aliud munus inire, quam illud, in quod pater incubuit *g*); ſic ſpecialiter in Sacerdotio filius patri ſuccedebat, erantque Sacerdotalia munera hæreditaria in certis & ad id conſtitutis familiis, quæ ſemper nulli alii negotio, quam rebus divinis, operam dabant. Conferatur EVSEBIVS Præp. Evang. Lib. II. pag. 50, qui ait: *Sacerdotes, qui*

g) De Commodis, & incommodis, ortis ex eo, quod in Aegypto omnia munera & omnes Artes in familiis hæreditariæ fuere, multis diſputat Cl. Goguet *de l'Origine des Loix* T. 3. L. 1. & Scheidemantel in Legum Aegypt. cum Atticis Spartaniſque comparatione, p. 23.

Digitized by Google

qui patrium in Aegypto Sacerdotium hæreditario jure accipiunt. Et DIODORVS SICVLVS pag. 98: *Sacerdotes, qui a Patribus Sacerdotia accipiunt in Aegypto huic Deo* (Pani) *primum initiantur. h)* Idem pag. 84: *Non enim in Aegypto, ut apud Græcos, unus tantummodo vir, aut femina una Sacerdotio fungitur, ſed complures Sacrificia & honores Deorum obeunt, qui poſteris eandem vitæ rationem quaſi per manus tradunt.*

Heic Interpretes ad Sacerdotia, quæ a parentibus ad liberos tranſiere, & familiis quibusdam propria fuere, referunt Eumolpidas, Eteobutadas, Neptuni Sacerdotes Rhodios, Clarii Apollinis Antiſtites Colophone, & illos Miniſtros, qui Comanis Cappadociis, & Ponticis Dianæ ſacris operabantur. Hæc habent aliquam cum familiis Sacerdotalibus Aegyptiorum ſimilitudinem; ſed multo majorem videmus in Levitis Judæorum, in Sacerdotibus Perſarum, apud quos

h) Hæc Initiatio explicatu difficillima eſt; huc forte trahendum, quod Ithyphallica ſacra, qualia fuere illa Panis, non minimam Myſteriorum Aegyptiorum partem conſtituerunt.

Digitized by Google

quos teſte HYDIO pag. 354, nemo niſi Sacerdotis filius in Sacerdotio ſuccedebat. Conferri tandem merentur Claſſes *(Caſtes)* Indorum, & apud hos peculiaris ille Brachmanum ordo, Aegyptiæ, ut videtur, originis inſtitutionisque.

Reditus Sacerdotum Aegyptiorum.

Vti vero Aegyptii in tres præcipue diſtributi erant Claſſes, ſic ipſa quoque Regio in tres partes diviſa, quarum reditus ad Regem, ad Sacerdotes, & ad Milites pertinebant, auctore DIODORO SICVLO pag. 84, qui ait: *Totius Regionis, quæ tripartita eſt, primam Sacerdotum Ordo ſibi portionem vindicat; ex Vectigalibus autem ſuis cuncta per Aegyptum Sacrificia procurant, miniſtros alunt, & ſuis uſibus neceſſaria inde depromunt; neque enim Deorum honores mutari, ſed ab iisdem eodem ritu peragi; neque in commune omnibus conſulentes neceſſariorum copia deſtitui fas eſſe judicabant — Hi* (Sacerdotes) *a cunctis oneribus ſunt immunes. i)*

i) Conferendus Joſephus Ant. Jud. p. 95. Haverc. & ibid. Interpretes.

Ex hoc loco patet voluiſſe Aegyptios, ut Sacerdotes illius regionis amplos haberent reditus, tum ad ſe ipſos ſuſtentandos, tum etiam ad curanda omnia Sacra & Sacrificia. Adparet quoque ex GENES. XLVII. 22. Sacerdotes Aegypti Joſephi temporibus habuiſſe ſibi deſtinatos agros, & demenſum, quod illis a Rege perſolvebatur, more poſtea apud Levitas quoque adhibito.

Cum itaque, ut vidimus probavimusque, Sacerdotum Aegypti magnus eſſet numerus, cum integræ familiæ ſacro ordini dicatæ, cum, quod ex omni Antiquitatis conſenſu patet, ſingulæ Vrbes ſua Numina, ſingula fere Animalia cultum aliquem acceperint, evenit, ut plurima fuerint ubique in Aegypto Sacerdotum Collegia *k*), plures illorum ordines, plura illorum Inſignia; quo-

k) Memphi fuere Collegia Sacerdotum Vulcani & Apidis, Thebis Collegium Sacerdotum Jovis & Arietis, in Mendeſia Præfectura Sacerdotes Panis, in Buto ſacri Miniſtri Latonæ Horique, & quæ innumera ejusmodi ex Veterum ſcriptis proferri poſſent.

Digitized by Google

quorum alia generalia, de quibus nunc dicemus, omnibus Aegypti Sacerdotibus communia; nonnulla vero peculiaria poſtmodum pertractanda, huic vel illi Sacrorum Miniſtrorum Claſſi convenientia.

GENERALIA SACERDOTVM AEGYPTIORVM INSIGNIA.

Raſum Caput, Corpusque.

Apud plerasque antiquas Gentes Sacerdotes præcipue ope Comæ, illiusque vel raſura vel promiſſa cæſarie a cetero diſtingui ſolebant populo *l*); apud Aegyptios vero nil notius eſt Raſura Sacerdotali, de qua ita loquitur HERODOTVS Lib. 2. *Deorum Sacerdotes alibi comati ſunt, in Aegypto raſi m*). Apud

l) De Coma Sacerdotali variarum Gentium optime egit Hadrianus Junius de Coma cap. 4. Addendus J. P. Miller de Adoptione per Comam atque Barbam, & Diſſert. de Barba Raſa Obſerv. Hall. T. X. p. 48. ſequ.

m) Leges Moſis de Coma Sacerdotali, &

Apud APVLEJVM Lib. XI. Metam. LVCIANVM in Philopſeude Tom. III. p. 60. Reitzii, & apud PLVTARCHVM de Iſide p. 352 raſum Caput ut ſignum perpetuum Sacerdotum Aegyptiorum memoratur. Hinc MINVTIO FELICI, aliisque, Sacerdotes hujus gentis Calvi vocantur. JVVENALIS Sat. VI. 533.

Qui Grege Linigero circumdatus, & Grege Calvo.

MARTIALIS Epigr. XII. 28.

Linigeri fugiunt Calvi Siſtrataque turba.

Et tales utique ſunt Aegyptiorum Sacerdotes omnes in antiquis Monumentis. Hoc Signum

præcipue Mandatum Ezech. XLIV. 20, pauci rite intellexerunt; ibi legimus Sacerdotes non debere caput radere, neque Comam nutrire; illis itaque non permiſſum fuit, ut ſe more Aegyptiorum penitus raderent; vetiti quoque, illis promiſſi, incomti, inculti Crines funebrium indices. Conf. eruditiſſimæ obſervationes Cl. Michaelis de Naſiræis, Theol. Typ. §. 42.

Notatu quoque dignum videtur, Japonenſium ſacros miniſtros raſo incedere capite, teſte Luca de Linda Deſcr. Orb. p. 1138.

Signum certum videtur, ita, ut quoties crinitum aliquem videmus Aegyptium, minime illum ad Sacros referre queamus Miniſtros. Hoc ſolum barbatos Aegypti Bacchos, aliaque comata Gentis iſtius ſigna a Sacerdotio excludit. Negari quidem nequit aliquando in Iſiacis Pompis, quæ Romæ occurrunt, & ibi elaboratæ fuerunt, iſtud non obſervari *n*); ſed contra omnes Aegypti mores, & contra cultum iſtum Romam perductum, quod tum ex ſuperius citatis Latinorum Poëtis patet, tum ex eo, quod LAMPRIDIVS de Commodo ſcribit, illum Iſiacis ſe Sacris ita tradidiſſe, ut & Caput raderet, & Anubin portaret.

Antequam vero ulterius pergam, notandum judico, Sacerdotes Aegypti, etiamſi minime barbati in Monumentis hujus gentis occurrant, habere tamen in Mento ornamentum, quod nonnulli minus recte delineant, & immerito cum barba minori confun-

n) Montfaucon *Antiq. Expl.* II. 116. Apud eundem II. 140. 10. occurrit Sacerdos Aegyptius in Monumento Romano, capillis in cincinnos compoſitis ornatus.

fundunt. De Perſea loquor, ſeu illius imitatione, inſigni, quo Aegyptii Sacerdotes paucis exceptis omnes in Monumentis decorari conſueverunt, & de quo Ill. Comes DE CAYLVS Tom. I. Tab. 10. Tom. IV. 1. Tom. V. 18. multis egit, declarans, illud videri Sacerdotale Ornamentum, ex laminis ſplendidiſſimis plerumque conſtans, mento Sacerdotum alligatum, elegantius pro majore iſtorum dignitate.

Sed Sacerdotes Aegyptiorum non modo Capitis radebant cæſariem, genarumque pilos, verum & ſupercilia; quin etiam nullos in toto corpore crines relinquebant *o*), quam in rem pauca quoque adferenda cenſeo argumenta.

SYNESIVS in Calvitii Encomio p. 70, ita loquitur: *Jam vero ego Aegyptios Sacerdotes;*

o) Adeundus Diog. Laërtius L. VIII. qui de Eudoxo tradit illum, dum verſaretur cum Sacerdotibus Aegypti, raſum fuiſſe mento & ſupercilio, *ὑπήνην καὶ* Ὀφρὺν, ſic enim legunt Eruditiores, cum antea extaret Ἥϐην καὶ ὀφρὺν, Pubem & Supercilia.

dotes; & Numinum Cultores, vel ab iis, quæ in genis naſcuntur ciliis, abhorrere animadverti, qui erant illi quidem viſu ridiculi, ſed prudens tamen ejus faciendi conſilium non defuit, ut callidis Aegypti par eſt hominibus. HERODOTVS quoque L. II. 1. 37. p. 102, ita ſcribit: *Sacerdotes tertio quoque die totum corpus radunt, ne quis pediculus Deos colentibus p), aut aliud quid ſordidum omnino adſit.* Conſentit PHILO p. 810. de Circumciſione, dicendo: *Radunt corpus Aegyptii Sacerdotes, ne quid ſordidum vel ſub pilis, vel ſub præputiis hæreat, quod poſſit obeſſe puritati ſacris debitæ q).*

Ex quibus concludimus, Aegyptios Sacerdotes pilos raſiſſe non ſolum eo fine, ut ſe a ceteris diſtinguerent; ſed ſimul & præcipue

p) Sic in minimis rebus ſuperſtitioſa Gens Religionem ſitam eſſe exiſtimavit.

q) Conferatur Maimonides de Suppellectile Templi cap. IX, de Sacerdote Judæorum ita ſcribens. *Si filum aut pulvis aut pediculus mortuus eſſet intra Carnem aut veſtem, diſcrimen habebatur, & miniſterium ejus Sacerdotis hoc modo fiebat illegitimum.*

Digitized by Google

cipue ut puritati, indeque in ea regione pendenti ſanitati conſulerent, quem in uſum certe frequentiſſimæ lotiones, forte & alia apud eos introducta.

Varia, quibus Sacerdotes Aegyptii ornantur, Capitum Tegumenta.

A raſo Sacerdotum Aegyptiorum Capillitio commodus ſatis mihi tranſitus eſt ad varia Capitum Ornamenta, quæ Sacerdotibus hujus gentis conveniunt, & de quibus notandum duco, Ill. Comitem DE CAYLVS ope Tabulæ Iſiacæ aliorumque Monumentorum docuiſſe, Capitum tegumenta, quæ pulcherrima, ſed pondere levia fuiſſe videntur, diverſos Sacerdotum Aegyptiorum gradus, muneraque ſæpius indicaſſe, mererique diligens examen.

Nos igitur heic de innumeris iſtis Sacerdotum Capitum Tegumentis, quorum plura obſcuriſſima videntur, generales quasdam obſervationes proferemus; ſpeciales autem, verbi gratia de pennis in Capitibus Sacerdotum, tangemus in Capite de Scribis, alias

de

Digitized by Google

de Animalibus in Sacrorum Miniſtrorum capitibus explicabimus in ſcriptione de Sacerdotibus Animalium nutritoribus, cultoribusque.

Simpliciſſimum Capitis Sacerdotalis tegmen occurrit apud Ill. Com. DE CAYLVS Tom. IV. 1. & apud MONTFAUCONIVM *Suplém.* II. 32. conſtatque ex Lino, ad hos uſus frequentiſſime adhibito. SILIVS ITAL. L. III.

Tempora multiplici mos eſt defendere Lino,
Et Petuſiaco præfulget ſtamine vertex.

Pilei oblongiores, aliquando extrema ſui parte recurvi, ſimiles illis Cabyrorum, Phrygum, & Perſarum, quibus originem dediſſe videntur, conſpiciuntur in Capitibus Sacerdotum Aegyptiorum apud MONTFAVCONIVM *Ant. Expl.* II. 142. *Suplem.* 51. *Aprés.* 51. *Mémoires de Trevoux* A. 1704. *Art.* 89. Capitis Tegumentum multis oculis ubique conſperſum obſervatur apud Illuſtr. Com. DE CAYLVS T. III. 2. & apud POCOCKIUM T. I. p. 213; proprium videtur

Sacerdotibus Oſiridis, qui *multioculus* nominatus repræſentatusque fuit. *r*)

Illud

r) Macrobius Sat. I. 21. *Oſirin Aegyptii, ut Solem eſſe aſſerant, quoties Hieroglyphicis litteris exprimere volunt, inſculpunt Sceptrum, inque eo ſpeciem Oculi; & hoc ſigno Oſirin monſtrant.* Sextus Empyricus Lib. V. *Aegyptii Regi quidem & Domino Oculo Solem aſſimilant.* Plutarchus de Iſide 354. *Regem & Dominum Oſirin Oculo & Sceptro pictis exprimunt.* Horapollo L. I. c. 34. *Omnia tranſit & peragrat Sol, omnia itidem accurate inſpicit, ideoque multioculus vocatus eſt.* Diod. Sic. L. I. *Aiunt Oſirin ſi interpreteris multioculum ſignificare, & merito, cum radios ubique intendens univerſam terram & mare quaſi multis oculis colluſtret.* Plutarchus de Iſide p. 355. *Nomen Oſiris quidam interpretantur Multioculum, ſiquidem Os Aegyptiorum ſermone multum,* IRI *vero oculum ſignificat.* Ad quem locum hæc ſcribit Jablonskius Panth. T. I. *Prior hujus interpretationis pars dubium omne reſpuit; etenim τὸ πολὺ, ab Interpretibus Coptis SS. ſemper redditur OSCH, vel ut Græci Euphoniæ cauſa id efferebant, OS. At IRI in eadem antiqua Verſione nunquam Oculum, ſemper vero facere ſignificat. Suſpicor ergo explicationem illam Sacerdotum, qui Oſirin interpretabantur multioculum, non eſſe litteralem, verum Emblematicam, deſumtam ex Lingua Sacra Sacerdotali.* Huc usque Cl. Jablonskius, nos vero primi Etymon hoc Verbi Oſiris ex Lingua Coptorum tentavimus pag. 14. Libri, qui inſcribitur; *diſſertation ſur une Colonie Egyptienne établie aux Indes.*

Digitized by Google

Illud quoque Capitis Tegumentum, quod apud MONTFAVCONIVM 2. *Supl.* 50, 2. in Sacerdote Aegyptio conſpicitur, ſilentio mihi non eſt prætereundum, quia Cl. LE BRVN id in operibus ſuis Aegyptiis conſecravit, pro ea, qua gaudebat, Antiquitatis ſcientia; erat autem elegantiſſimum, conſtans ex faſciis latis, ſtriatis, a capite per humeros ad pectus usque deſcendentibus.

Apud Ill. Comitem DE CAYLVS T. II. 8. & T. V. occurrunt Sacerdotes Aegyptii in capite nunc quadratam, nunc pyramidatam figuram geſtantes, ex ingenio hujus gentis, quæ Schematibus iſtis myſteria, quæ inde Pythagoras quoque accepit, tribuere ſolebat.

Idem quoque Ill. Scriptor *s)* veroſimili conjectura oſtendit illas effigies, quæ ornamenti

Junctum videtur ex *Oſch* multus, & *Jorh* Pupilla Oculi. Kircheri Scala. 75. *Ti - met - Jorh* Ibid. 57. Conſideratio rei adhibita exacta oculorum acie.

s) Rec. d' Antiqu. T. III. 4. T. IV. 16. Montfaucon. T. 2. 167. *Suplém.* 2. *aprés* 52.

menti loco in vertice Bacchi Barbati majus & portentoſum caput geſtant, in manibus vero Animalia & ſub pedibus Crocodilos tenent, forte non Deos, ſed Deorum Miniſtros repræſentare; quo etiam facere videntur Sacræ Tabulæ ſæpius iſtis additæ, Hieroglyphicisque conſperſæ litteris.

De Vario Corporis Habitu, qui apud ſacerdotes Ægyptiorum obſervatur.

De varia quoque Corporis compoſitione, qua Sacerdotes in Aegypti Monumentis occurrunt, breviter mihi agendum eſſe autumo; quia in gente iſta ſuperſtitioſa omnes geſtus, omnes corporis habitus, vel diverſum ſacerdotii ordinem, vel diverſam ſacerdotum actionem ſignificabant.

Sacerdotes Aegyptiorum tum ſtantes tum progredientes, modeſto conſpiciuntur & gravi vultu habituque, manibus plerumque corpori prope junctis, apud Ill. Com. DE CAYLVS T. II. 8. T. III. 8. 1. T. IV. 8. & 11. Et apud MONTEAVCONIVM II. 107. 1. *Suplém.* II. 34. 53.

Ali-

Aliquando autem Sacerdotes manus non modo corpori prope adhærentes habent, ſed & ſub veſte latentes, cujus rei plura exempla proferemus in Capite de Prophetis, quibus hoc inſigne maxime convenit. *t)*

Liceat interim heic afferre locum CHÆREMONIS apud PORPHYRIVM de Abſtin. qui in Latina parum accurata Interpretatione pag. 363. ita habet: *Quin etiam ex ipſo*, Sacerdotum, *Corporis ſtatu quidam gravitatis ſplendor conſpiciebatur; inceſſus enim bene erat compoſitus, aſpectus ita ex propoſito conſtans, ut ſi noluiſſent connivere; riſus vero rarus, qui ſi forte excidiſſet, ita moderatus, ut vix riſiſſe dixeris. Continebant autem ſemper manus intra habi-*

t) De hoc Sacerdotum Aegyptiorum geſtu optime egit Cl. Abbas Barthelemy ad Monum. Præneſt. Conferendus etiam Briſſonius, qui in Libro de Regio Perſarum ſtatu probavit eos, qui a Rege conſpiciebantur, ſtatim manus in manicis occultaſſe; ex quo apparet apud vetuſtiſſimas iſtas gentes id obſervantiæ ſignum fuiſſe. Ceterum heic generatim monendum videtur, Antiquiores in omnibus erga Deos ſeſe eodem modo, quo erga Reges Principesque gerere conſueviſſe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

habitum, quarum compoſitio unicuique nota erat ſignificativa eorum, quæ in adminiſtratione rerum ſacrarum acceperant, plures enim erant manuum compoſitiones.

Hæc ultima male converſa videntur, ſenſus eſt, manus in veſte ſemper continent, & erat unicuique illorum ſignum aliquod certum ordinis, τάξεως, quem in Sacris ſortitus eſt; plures enim erant Sacerdotii Ordines, τάξεις.

Sacerdotes ſtantes ſæpe manus ſupplices ad Aſtra, Deos ſuos tendunt; tales occurrunt apud Ill. Comitem DE CAYLVS Tom. V. 10. ubi obſervandum duco, Sacerdotes, qui ſtantes adorant, plerumque eſſe Miniſtros Sacros ſupremi ordinis, cum inferioris dignitatis Sacerdotes precantes vulgo in genua procubuerint.

Sacerdotes ſtantes progredientesque aliquando Deos circumgeſtant vel in arculis vel in navibus poſitos. Hos fere omnes ad *Paſtophoros*, qui proprie erant Sacerdotes, Deos in Thalamis, Navibus, & Arcis circum-

cumducentes, referimus; latiore autem ſenſu etiam ad hanc claſſem pertinent illi Sacrorum Miniſtri, qui Deos & conſecrata Animalia in baculis, vaſibus, aut manibus circumferunt; a quibus tamen nonnunquam diſtinguendi ſunt, qui majores baculos inſignium loco gerunt, in quibus non integra animalia, ſed tantum aut flores aut Avium capita, ornamentorum inſtar poſita conſpiciuntur. Hi autem ſunt Sacerdotes ſtantes & progredientes inferioris ordinis, ut & illi, quos ſupra citavi manibus corpori ſtricte adhærentibus, & alii manibus in crucis formam in pectore compoſitis, qui occurrunt apud MONTFAVCONIVM *Supl.* II. 51. & in Sacro Proceſſu apud NORDENIVM 125.

Sed Sacerdotes Aegyptiorum ſæpius etiam ſedentes conſpicimus, vel manibus corpori prope junctis, vel in genubus Volumina tenentes, quos Sacros Scribas eſſe, inferius pluribus probabimus. *u*)

 Illud

u) Sacerdotes ſedentes cum vulgo ſint ceteris ornatiores videntur ſuperioris eſſe ordinis.

Digitized by Google

Illud quoque heic obſervandum, Ill. Com. DE CAYLVS oſtendiſſe Hypopodia, quæ ſœpius Sacerdotum Aegyptiorum pedibus ſubjiciuntur, majoris apud eos dignitatis indicia fuiſſe. Talia occurrunt apud Ill. hunc Scriptorem V. 18. apud MONTFAVCONIVM II. 105. 4. 140. 5. *Supl.* 2. 52. 4. Similia in ISIACA conſpiciuntur TABVLA, ubi illa Numinibus tantum conceſſa eſſe video.

Sacerdotes Aegypti juniores inferioresque etiam genubus nixi occurrunt, elatas ſeparatasque manus ad cœlum & Deos tendentes, preces eo fundentes more, quem a vetuſtiſſimis temporibus ad noſtram usque ætatem ſupplicantibus venerantibusque in uſu fuiſſe conſtat. Tales conſpiciuntur apud Ill. Comitem DE CAYLVS II. 8. & apud MONTFAVCONIVM II. 140. 2. Humum quoque provoluti Sacerdotes & in genua pro-

Talis occurrit apud Ill. Comitem de Caylus V. 18. 4. manu clauſa pollice extenſo, quod ſecundum Clar. iſtum Auctorem ſuperſtitioſi quid videtur ſignificare.

procumbentes elatis manibus occurrunt apud KIRCHERVM in Obeliſco Lateranenſi Oedipi Tom. III. 162. & in Herculanenſibus Monumentis. Sacerdos etiam femina apud Ill. Comitem DE CAYLVS Tom. III. 8. 2. conſpicitur, more Orientis gentibus conſueto humi ſedens, genubus in crucis formam diſpoſitis, ſacras perlegens preces.

Materia & Color Veſtium Sacerdotum Aegyptiorum.

Materia Sacerdotalium Aegypti Veſtium fuit Linum, quod hæc Regio magna ſuppeditabat copia; *x*) eodem veſtiebantur etiam Sacri Judæorum Miniſtri, de qua re multis egit Cl. BRAVNIVS de Veſtitu Sacerdotum. Nos vero de Aegyptiis Sacerdotibus

x) Notatu dignum eſt, Cl. Haſſelquiſt, in Itin. Palæſtinæ, Aegypto quidem magnam tribuere Lini copiam, ſed ſimul ſtatuere ſe, ex Linteis, quibus Mumiæ circumvolutæ ſunt, concludere celeberrima vetuſta Aegypti Lintea, ut hodierna, rudiora fuiſſe, & nullius ad Europæa pretii, eo tantum tempore laudanda, quo ſola fere Aegyptus Linum Linique texturam cognovit.

bus Lineis veſtibus indutis pauca tantum afferemus, cum hoc argumentum notiſſimum eſſe videatur. Sic itaque HERODOTVS Lib. II. c. 37. p. 102. *Iidem Sacerdotes Veſtem tantummodo Lineam geſtant.* Hinc apud LVCIANVM in Philopſeude T. III. p. 60. Aegyptius Sacerdos Linea indutus veſte deſcribitur; & apud Romanos, qui Sacra Aegyptiaca aſſumſere, eundem morem viguiſſe conſtat; frequentiſſime enim ibi Aegyptiæ Religionis Sacerdotes *Linigeri* vocantur; quo etiam pertinet SVETONIVS, qui cap. XII ait, Othonem in lintea religioſaque veſte Sacra Iſidis propalam celebraſſe.

Hæc loca, & innumera alia, quæ prætermittimus, de Lino intelligenda videntur; ſunt tamen Eruditi, qui aliqua cum veri ſpecie contendunt, Vocabula Hebræa, Aegyptiaca, ac Græca, quæ nos ſemper de Lino Vero intelligimus, forte aliquando Goſſipia ſignificare, quæ tum ex ipſa Aegypto, tum ex vicinis locis adducta, ab Aegypti Sacerdotibus adhiberi potuiſſent.

Hanc

Hanc ſententiam firmare videntur PLINIUS, & ROVELLIVS *y*), quorum loca adſcribemus. PLINIVS Lib. XIX. I. ita loquitur: *Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Goſſipium vocant, plures Xylon, & ideo Lina inde facta Xylina. Parvus eſt ſimilemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur, nec ulla ſunt eis candore, mollitieve præ-*

y) *Mémoires de l'Acad.* R. *des Sciençes* A. 1750. *Toutes les Toiles de Mumies, qui ſont ſans matiere reſineuſe, que jái eu occaſion d'examiner, ſont de Coton; les Morceaux de Linge, dont les Ois eaux embaumés ſont garnisſont egalement de Coton —— Le Lin des Egyptiens étoit il le Coton? Ou le Coton etoit il conſacré par la Religion aux Embaumemens?*

Linea Veſtimenta cum Sacerdotibus Aegyptiorum, ut multa alia, communia habuere vicini Aethiopes, auctore Diodoro Siculo, qui ait L. III. p. 176. *Sacerdotum Collegia ejusdem utrobique*, apud Aegyptios & Aethiopes, *ordinis ſunt; quotquot enim ibi cultui Deorum conſecrati ſunt, eos puritati & ſanctimoniæ deditos eſſe oportet, eodemque modo raſos, & ſimilibus amictos Stolis.* Vbi Linteas intelligendas eſſe Stolas, certum eſt.

Digitized by Google

præferenda; Veſtes inde Sacerdotibus Aegypti gratiſſimæ.

De Cauſa jam agendum eſt, ob quam Aegyptii Sacerdotes vel proprie ſic dicta, vel etiam Xylina Lina, ceteris prætulere. In hujus rei originem PLVTARCHVS pro conſuetudine poſteriorum Philoſophorum ſubtilius inquirit, cujus locum integrum afferre & paucis illuſtrare lubet commentariis. Sic vero ſcribit de Iſide p. 359. *Non enim Philoſophum barba aut pallium, neque Iſiacum Lini geſtura, aut raſura, faciunt — Vulgo etiam uſitatiſſima iſta ſunt incognita, cur capillos ponant Sacerdotes, cur lineas gerant veſtes? quidam ne curant quidem quidquam de his rebus cognoſcere. Alii lanis eos, ut & carnibus Ovium Religionis gratia putant abſtinere — Linum gerere ob colorem, quem flos Lini habet, ſimilem nitori Aetheris mundum ambientis. Vera autem horum omnium cauſa eſt, ut ait Plato, quod purum tangi a non puro nefas eſt; atqui nullum excrementum alimenti, nullum rejectaneum caſtum purumve eſt; ceterum ex excrementis naſcuntur Lanæ, Villi, Crines — Linum*

num porro e terra naſcitur immortali, & fructum fert eſui aptum; veſtem exhibet tenuem, puram, quæ gerentem non gravat, aptam omnibus anni temporibus, quæ minime pediculos gignat. z)

Cauſa Linearum Veſtium ab Aegyptiis Sacerdotibus dilectarum peti poſſet, vel ex eo, quod Laneis veſtibus uti nollent, cum ſancta fuerint plerisque Aegyptiis lanata Animalia; vel quia veſtimenta ex plantis in ea præcipue regione & puriora, & commodiora omnibus aliis. Veroſimillimum tamen eſt, ſummam vetuſtatem Aegyptiorum Sacrorum præcipuam hujus rei cauſam eſſe, cum eo tempore, quo cultus Aegyptiorum introductus, in quo dein ob ſuperſtitioſum ſacrumque Antiquitatis amorem, fere nihil immutatum fuit, ibi neque cruentæ cædes

z) Apulejus in Apologia: *Lana ſegniſſimi corporis excrementum pecori detracta, jam inde Orphei & Pythagoræ ſcitis profanus veſtitus eſt; ſed etiam mundiſſima Lini Seges inter optimas fruges terræ exorta, non modo indutui & amictui ſanctiſſimis Aegyptiorum Sacerdotibus, ſed opertui quoque in rebus ſacris uſurpatur.*

Digitized by Google

cædes animalium locum habuiſſe videntur, & multo minus cognitæ fuere pretioſæ illæ poſtea ex India allatæ Veſtes ſericiæ. Color Veſtium linearum Aegyptiorum Sacerdotum erat candidus: *Tunc influunt*, inquit APVLEJVS Metam. XI. in Pompæ Iſiacæ deſcriptione, *turbæ ſacris divinis initiatæ, viri feminæque omnis dignitatis & omnis ætatis, linteæ veſtis candore puro luminoſi.* Talis eſt color Veſtium Sacerdotum Iſidis in Herculanenſibus Picturis; talem lineam veſtem geſtarunt Aegyptiorum imitatores, Pythagoras, & Apollonius Thyaneus; talem plurimæ vetuſtæ recentioresque gentes in ſacris obeundis ferre ſolent, vel quod hunc morem ab iſtis ſumſerint, vel quod natura hunc colorem ſanctitati ſacrorum proprium judicaverit. *a)*

Ali-

a) Videnda Dreiſingii erudita Diſſertatio de Stola alba Pythagoræ, Lipſiæ 1736 vulgata.

De *Melanephoris*, Sacerdotibus Aegypti, triſtioribus diebus nigras veſtes gerentibus, agemus infra; ubi ſimul morem antiquum, veſtimenta in luctu mutandi, ex Aegyptiorum ritibus illuſtrabimus.

Digitized by Google

Aliquando tamen in quibusdam Pompis hæ veſtes variegatæ fuerunt, & eleganter exornatæ. APVLEJVS Metam. XI. initiatum ſacris deſcribit byſſina quidem, ſed florida depicta veſte conſpicuum; idem deinceps byſſum multicolorem & veſtem ſtellis diſtinctam variegatamque in ſacris uſitatam memorat, quo pertinere videtur Sacerdos femina in Tabulæ Iſiacæ Fig. G. variegata occurrens veſte.

De Forma Veſtium Sacerdotum Aegyptiorum.

Hæc de materia & colore veſtium Sacerdotum Aegyptiorum dicta ſufficiant; pergimus ad earum formas & diſcrimina. Ex antiquorum Aegyptiacorum Monumentorum inſpectione certum nobis videtur, Oſirin, Horum, Harpocratem, nudos plerumque, Iſidem aut nudam, aut egregio & penitus Numini tam auguſto convenienti ornatu repræſentari; Sacros autem Miniſtros nunquam fere nudos occurrere, eosque, quo magis veſtiti ornatique, eo majoris eſſe ordinis & officii.

Juni-

Digitized by Google

Juniores Sacerdotes, & minoris gradus, non aliam habent Veſtem, quam lineam illam, quæ a lumbis ad genua procedens nuditatem tegit, hanc Gallice *Caleçon* nominare poſſumus; Græci περισκελῆ λινῆ, Ἀναξυρίδες, Latini Subligacula, Succinctoriaque vocabant. *b*) Frequentiſſime Sacerdotes inferioris ordinis hac veſte conſpicuos videmus apud Illuſt. Comitem DE CAYLVS T. II. 8. T. III. 2. 4. Tom. IV. 8. & 11. T. V. 18. 19. 20. & apud MONTFAVCONIVM T. II. 140. *Suplem.* II. 50. 51. 52. 53.

Aliquando hæc Feminalia deſcendunt fere usque ad pedes, & tum jam videntur eſſe indicia paulo majoris gradus; tales occurrunt apud Illuſt. Comitem DE CAYLVS T. I. 6. 4. T. III. 8. 1. T. V. 18. 1. MONTFAVCONIVM *Suplem.* II. 52. 4. *c*)

Sub-

b) Conferendus Braunius de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum, apud quos etiam hæc Feminalia in uſu fuere.

c) In Tabula Iſiaca Sacerdotes feminæ a mammis ad pedes veſtitæ ſunt; viri illa habent Succinctoria, de quibus heic loquimur, nonnunquam etiam Veſtimenta, quæ pectus arcte tegunt.

Digitized by Google

Subligacula iſta ſuperiore ſua parte conſtant ex Jaſcia vel cingulo, quod aliquando exornatum eſt hieroglyphicis notis, d) apud MONTFAVCONIVM II. 102. I. & *Suplem.* II. 34. Sed præter hæc Cingula, ex quibus Sacerdotum Aegyptiorum Subligacula ſemper conſtant, occurrunt etiam alia in Monumentis, ſtatim ſub mammis collocata, corpus arcte ſtringentia, apud Illuſt. Comitem de CAYLVS V. 18. 4. MONTFAVCONIVM *Supl.* II. 53. I. Alia quoque Cingula, aliique Sacerdotum Balthei conſpiciuntur in TABVLA ISIACA.

A Feminalibus non multum diſcrepant Sacerdotales Veſtes Aegyptiacæ paulo ſupra lumbos ſuccinctæ, inde ad pedes deſcendentes, ſtricte corpori adhærentes. Hoc veſtimento ornatus eſt Sacer Scriba in ADMIRANDIS ROMANÆ ANTIQVITATIS apud MONT-

d) Notum eſt, Antiquos in Zonis & Cingulis carmina, effigies, inſcriptionesque ſæpius intexiſſe; de qua re, ut de omnibus ad Cingula Veterum pertinentibus, optime egit Cl. Ungerus in Libro de Cingulis.

Digitized by Google

Montfavconivm II. 116. I. e) Tali induti ſunt alii Sacerdotes Ibid. 125. Eodem ornantur *Paſtophori* apud Ill. Comitem de Caylvs I. 8. 2. Ejusmodi Veſtem geſtant etiam Sacerdotes Aegyptiorum in Herculanenſibus Picturis. Quod autem attinet ad ſingularem modum harum Veſtium collocandum in eo, quod corpori ſtricte adhæreant, videmus eum jam a Veteribus obſervatum fuiſſe; Sic enim ſcribit Apvleivs Lib. XI, de Pompa Iſiaca ſermonem faciens: *Fas amœnus lectiſſimæ Juventutis veſte nivea & Cataclyſta*, quæ corpus arcte claudit, *prænitens ſequebatur Chorus — Antiſtites, Sacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectoralem ad usque veſtigia ſtrictim injecti.*

Con-

e) In iſtis Romanorum Monumentis Viri & Feminæ occurrunt Veſtibus fere talaribus, iſtæque mammis nunc tectis, nunc apertis. Videntur tamen Sacerdotes utriusque Sexus in quibusdam Pompis ob peculiares & nobis incognitas rationes mammarum unam denudaſſe, altera obtecta; quo pertinent Monumenta apud Montfauconium II. 108. I. & 104. 6.

Conferendi heic ſunt Sacerdotes Aegyptii majoris ordinis cum talari veſte apud MONTFAVCONIVM II. 109. 1. alii apud eundem II. 140. 7. nec non plures in antiquiſſimis Monumentis Ibid. 142. *Suplem.* II. 51. Veſtibus arcte corpori adhærentibus ornati, exertis nudis brachiis. *f*) Summi autem Sacerdotes, Prophetæ Aegyptiorum, Veſte eaque ampliore penitus fuere obvoluti, ſic ut nil præter manuum extremitatem appareat; ſed cum hoc certum iſtius ordinis ſignum eſſe videatur, de eo ſpeciatim agemus in Inſignibus iſtius Claſſis, heic enim tantum generales tradere volumus Obſervationes de Aegyptiorum Sacerdotum Veſtimentis.

De Torquibus, Armillisque Sacerdotum Agyptiorum.

Inter Ornamenta, quibus Sacerdotes Aegyptiorum in Monumentis conſpicui ſunt, com-

f) Herodotus L. 2. 118. Aegyptiis fimbriatas tribuit Veſtes; talibus ornantur Sacerdotes hujus gentis in Herculanenſibus Picturis.

commemorandi etiam Torques, Monilia plus minusve pretioſa, quibus illorum Collum Humerique ornantur, quorum diſcrepantia tum ex diverſa ſignorum iſtorum ætate, tum ex Sacerdotii gradibus deducenda videtur. *g*)

Simpliciſſimus Torquis occurrit apud Illuſtr. Comitem de Caylus IV. 8. V. 20. 1. Elegantior eſt ille apud Montfauconium *Suplem.* 11. 50. 2. 52. 2. Elegantiſſimus, fimbriatus, variegatusque apud Ill. Comitem de Caylus ſœpiſſime, præcipue T. I. 6. 2. T. II. 3. 4. T. IV. 1. T. V. 18. Sed hoc minime eſt Inſigne Sacerdotum tantum, Oſiridi enim Ibid. T. III. 2. 1. Horo T. IV. 4. 3. & T. I. 12. 3. Sacro tribuitur Apidi. *h*) Idem quo-

g) Sacerdotes, qui omni prorſus Torqui deſtituti ſunt, videntur minoris ordinis, niſi monumenta ſint ſummæ vetuſtatis; quod dubitando conjectandoque tantum propono.

h) An huc quoque trahendus Leo cum Collari monſtroſo apud Ill. Comitem de Caylus V. 6. 4? Torquium Vſus & Antiquitas patet etiam ex Hiſtoria Pharaonis & Joſephi. Conf. Schefferus de Torquibus.

Digitized by Google

quoque ornamentum in Tabula Iſiaca non modo Sacerdotibus utriusque Sexus, ſed Diis quoque adjicitur.

Hi Torques Ornamenta ſolum fuiſſe videntur, ſed alia eſt ratio illorum, qui a collo ad pectus usque deſcendebant, inferiore ſua parte variis imagunculis exornati, qui non modo ad conciliandum decorem ſplendoremque, ſed ut φυλακτήρια quoque a ſuperſtitioſa gente adhibiti fuiſſe videntur. Ejusmodi Torque Iſidis Sacerdos femina ornata eſt apud Comitem de CAYLVS T. V. 4. 1. Apud MONTFAVCONIVM Sacerdos occurrit Leonis portentoſum Caput e collo ſuſpenſum in pectore geſtans; *Suplem.* 11. 52. 3. *i)* Cui non abſimile eſt illud, quo Sacri Jeles apud eundem *Suplem.* 2. 44. 45. & apud Ill. Comitem de CAYLVS T. V. 6. ornati ſunt; unde forte concludi, poſſet Sacerdotem, qui apud

i) Ibidem aliud Amuletum inter Sacerdotum Inſignia occurrit, T. II. 52. Suplem. n. 1.

De Amuletis Veterum ſingularem Librum conſcripſit P. J. Arpe.

apud MONTFAVCONIVM occurrit, Jelis, ſeu Bubaſtis, cui hoc animal ſacrum, Miniſtrum repræſentare. Sed neque hæc Amuleta ex collo pendentia ſunt ſatis certa Sacerdotum indicia, iisdem enim Dii, iisdemque ſacra ſœpius ornantur Animalia; noti ſunt ejusmodi Torques collum & pectus Harpocratis in Monumentis ornantes; nota φυλακτήρια varia e collo Canoporum ſuſpenſa, apud Ill. Com. de CAYLVS T. II. 6. 2. 3. apud MONTFAVCONIVM II. 132. 1. in KIRCHERI Oedipo. T. III. 436. Sic in Tabula Iſiaca Apis ejusmodi collari, ut & Feles Simiæque apud Com. de CAYLVS T. III. 6. 2. T. V. 5. 15. ornatæ ſunt.

Torques iſti Sacerdotum Aegyptiorum differebant a Pectorali, quod Summi illorum Judicis inſigne fuit, de quo nunc latius & uberius nobis dicendum videtur. De illo itaque ſic ſcribit AELIANVS Var. Hiſt. Lib. XIV. c. 34. *Judices apud Aegyptios iidem quondam fuerunt qui & Sacerdotes;* (de qua re agemus infra) *in his Princeps erat ſententiæ maximus natu*

natu, k) & in omnes ſtatuendi jus habebat. Eum omnium hominum eſſe juſtiſſimum & tenaciſſimum oportebat, qui circa collum imaginem ex Sapphiro Gemma confectam geſtabat, quæ vocabatur, Ἀλήθεια, *Veritas.*

Conferendus DIODORVS SICVLVS Lib. I. p. 86. *Weſſel.* qui ait: *Stipendia in Victum & alias res neceſſarias a Rege Judicibus præbebantur, ſed Summo Judici multo amplius; geſtabat is in Collo ex aurea catena dependens e lapillis prætioſiſſimis Simulacrum, cui* VERITAS *nomen; hoc a Principe Judiciorum aſſumtum diſceptandi lites auſpicium erat — tandem ſententias inter ſe dicendi triginta Viris, Prætori Veritatis effigiem alteri controverſantium parti applicandi officium incumbebat. l)*

 Com-

k) Auctore Aeliano Summus Judex erat natu maximus Sacerdotum Judicum Aegyptiorum; Diodorus, cujus ſententiæ quoque accedimus, paulo aliter loquitur p. 86. Ἐπεὶ δὲ συνέλθοιεν οἱ Τριάκοντα, ἐπέκρινον ἐξ ἑαυτῶν ἕνα τὸν ἄριστον, καὶ τοῦτον μὲν Ἀρχιδικαστὴν καθίσαντο.

l) Notandus mos, Juſtitiæ ſignum, illi appendendi, a cujus parte Jus et Veritas; ſole-

Comparandus idem Scriptor pag. 58. in deſcriptione Ornamentorum Sepulchri Oſymandiæ: *Multæ*, inquit ille, *ex ligno ſtatuæ, quibus diſceptantes in judicio, & juri dicendo præfecti repræſentantur. Hi numero triginta in uno parietum exſculpti; in medio eſt Judiciorum Princeps, Ἀρχιδικαστὴς, Veritatem clauſis oculis, collo ſuſpenſam, plurimosque Libros adjacentes habens, m*)

Si

bant ita Veteres, & præ ceteris Aegyptii, in ſolennibus ejusmodi rebus ſignificantes quasdam actiones, magnificas antiquasque cerimonias cum Verbis jungere, ut illis majorem tribuerent decorem anctoritatemque.

m) Plutarchus de Iſide p. 354. ait: *Thebis Simulacra fuiſſe dicata Judicum manibus carentium, & illorum Principem oculos in terram dejectos habuiſſe;* qua re, uti iſto Ἀληθείας ſigno, de quo nunc diſſerimus, innuebatur, Juſtitiam ad neminem reſpicientem, nullis donis, alloquiis nullis flecti poſſe, allegoria ſimplici, ab Aegyptiis introducta, & poſtea, ut innumeræ aliæ. Comparanda etiam ſunt illa retenta conſecrataque, quæ infra adferemus de Juſtitiæ inſigni, quo Stoliſtæ ornati fuere.

Si recentiores ex Auctoribus hunc locum propius inſpexiſſent, de forma iſtius ornamenti non tam diu diſputaſſent; ex collatione enim iſtius cum præcedentibus apparet, Ἀλήθειαν nil aliud fuiſſe, quam Imagunculam Juſtitiæ, Summo Sacerdoti, quatenus ſimul Summus Judex, appenſam, e collo ex aurea catena deſcendentem, quæ pluribus lapillis pretioſis, & præcipue Sapphiro exornata erat, ſi quidem Gemmarum Veterum nomina rite ſervavimus. *n*)

Hoc Inſigne me in Aegyptiorum Monumentis vidiſſe aſſerere nequeo ob minus exactas delineationes, ſed vix dubito illud in Pinacothecis ſupereſſe. Conferantur Sacer-

n) Apud Sponium in Miscell. & in Van Dalen Diſſ. Ant. p. 142. occurrit Sacerdos Matris Deûm cum ſigno ex collo ad pectus pendente, quo pertinet Dionyſius Halicarnaſſenſis L. II, dicendo: *Sacra Matris Ideæ peragunt Vir Phrygius, & Mulier Phrygia, & iſti per Vrbem ea circumferunt, Matri Deorum ſtipem cogentes, ut mos eorum fert, de pectore pendentes imagines geſtantes.* Conferri heic meretur. Ill. Comes de CAYLVS T. 1. p. 219.

Digitized by Google

dotes apud KIRCHERVM Oedipi T. III. 507. 496. 497. qui viri ſunt, non Feminæ, ut vult citatus Auctor. Conferantur Monumenta apud Caſalium in Sacris & Profanis ritibus, p. 18. & apud MONTFAUCONIVM T. II. 140. quamvis heic potius repræſentari mihi videantur Deorum miniſtri, Numina ſua circumgeſtantes, Inſigni, quod Veteres Scriptores & Monumenta illis ſœpiſſime tribuunt. Comparandus etiam peculiaris Torquis cum oculo apud MONTFAVCONIVM *Supl.* II. 44. 3. Sed fateor hoc Monumentum mihi eſſe obſcuriſſimum.

Cum Summi Sacerdotis Judicis Aegyptiorum Inſigni nunc memorato a plurimis non immerito comparatur *Pectorale*, atque *Urim & Thummim* Maximi Judæorum Pontificis, *o*) in cujus ſplendido ſuperhumerali, *Ephod* vocato, aureis catenulis adfixum erat *Choſchen* ſeu *Pectorale*, clariſſimis Gemmis diſtinctum; huic vero Pectorali in ſolennibus qui-

o) Legendus præcipue Cl. Spencerus in ſingulari & optima ſcriptione de *Urim* & *Thummim*, vulgata Cantabrigiæ. A. 1669.

quibusdam occaſionibus, ſi divina expetebantur Oracula, *Urim* & *Thummim* imponebatur, de quo utrum aliquid fuerit a Gemmis iſtis diverſum, an non, certi nihil ſcriptum eſt; nil enim de illius ſtructura habent V. T. Litteræ, multa vani mendacesque Judæi recentiores, ſed illi ipſi non diffitentur, id, dum ſcriberent, non amplius locum habuiſſe. Hoc ſolum obſervare liceat, Græcam Veteris Codicis Verſionem EXODI XXVIII. 30. *Thummim* per ipſum Ἀληθείας Vocabulum, quod ex DIODORO SICVLO, & AELIANO produximus, transferre.

Et cum de Ornamentis Sacerdotum Aegyptiorum differam, monendum videtur, exſtare quoque Monumenta, ſed pauca, in quibus hujus gentis Sacerdotes Brachiolis Armillisque exornati ſunt; huc pertinet MONTFAVCONIVS II. 120. 2. ubi ſacer Miniſter duplicia Brachialia geſtat, altera in ſummitate brachii, altera in ejus extremitate inferiore prope manum. Hæc Ornamenta in Pompis præcipue indui conſueta ex

auro

auro egregie exornata fuere, ut patet ex Monumento antiquo Aegyptio, in quo Sacerdos cum eodem Inſigni occurrit apud Ill. Com. de CAYLVS T. V. 18. 4. *p*)

De Calceis Sacerdotum Aegyptiorum.

Pleræque vetuſtæ gentes Sacra nudis peragere ſolebant pedibus. Hoc modo occurrunt Sacerdotes Aegyptii ſœpiſſime & fere in omnibus antiquis Monumentis; talem cultum requirebat Pythagoras, inter cujus Σύμβολα & illud invenimus: *Excalceatus Adora*, tales erant Cybeles Sacerdotes, & fere omnium gentium ſacri Miniſtri; quod ex tota antiquitate docuerunt Viri Clariſſimi CLERICVS, & DOVGTÆVS ad EXODI III. 5. PITISCVS ad SVETONIVM in Octavio; GYRALDVS ad lau-

p) Armillarum uſum apud Aegyptios probare poſſumus, ex Montfauconio, *Suplem.* II. 36. 44. 45. & ex Ill. Comite De Caylus, ubi Oſiris Brachialia habet, ſed tantum in uno latere, quod videmus etiam in Monumento apud Montfauconium, II. 119. 3.

Digitized by Google

laudatum Pythagoræ Σύμβολον, & BROVERIVS de Adorationibus Cap. XV. q)

Aliquando tamen Sacerdotes Aegyptii in Monumentis Caceorum quædam genera geſtant, qui illis propterea præcipue in repræſentationibus tributi fuiſſe videntur, quia in ſolennibus tantum eos depoſuerunt actibus. Materiam itaque horum Calceorum ex Scriptoribus, formam ex monumentis antiquis breviter illuſtrare conabimur. Aegyptiorum Sacerdotes Calceos ex Byblo, ſeu Papyro Aegyptiaca, gerebant, cujus rei teſtem habeo HERODOTVM ita Lib. II. cap. 37. ſcribentem: *Iidem Sacerdotes*, Aegyptii, *Veſtem tantummodo lineam, calceos byblinos geſtant, nec aliam veſtem, aut alios calceos ſumere iis fas eſt.* Conſentit EVSTATHIVS in Commentario ad

q) In Herculanenſibus Picturis, quæ Sacra Aegyptiorum repræſentant, omnes Sacerdotes ſunt nudipedes, ut & in Tabula Iſiaca, exceptis illis, ut videtur, primi ordinis Miniſtris, qui Apidi adſtant in ſecundo illius Monumenti ſegmento.

ad DIONYSII Periegeſin, 5. 912. *r*) *Fiebant*, inquit ille, *& Calcei ex Planta Bybli, Aegyptii igitur Sacerdotes Papyraceos calceos geſtaſſe olim dicuntur.* Huc etiam pertinet MARTIANVS CAPELLA de Nuptiis Philol. L. II. p. 28. cujus hæc ſunt verba: *Et ne Philologia ipſius Phroneſis careret ornatibus, ejus pectori, quo verius comeretur, appoſuit. Calceos præterea ex Papyro textili ſubligavit, ne quid ejus membra pollueret morticinium.*

Cum hunc locum legerem, primo quidem in illam incidi ſententiam, Calceos Veterum Papyraceos ad eorum inſtar, quos variæ geſtant gentes, contextos fuiſſe eo artificio, quo textilia illa fiunt opera, quæ *Nattes* vocamus; ſed Monumenta Aegyptiaca accuratius

r) Idem Interpres Homeri Iliad. ψ ait: *Quod vero Planta Byblus etiam ad ſubligandum utilis eſſet; Βυβλινοπέδιλος, Papyro calceatus, ſignificat, cujus apud Antiquos eſt uſus.* Conferri poteſt Philoſtratus in Vita Apoll. Thyanei L. VI. & præcipue Lib. VIII. p. 387. qui ait Pythagoram noluiſſe geſtare veſtes ex Lanis & pellibus, ſeu morticina materia, ſed lineas; nec calceos ex iisdem, ſed Byblinos.

ratius inſpecta docent, hos calceos conſtare ex tæniis & philyris Papyri tenuibus; de quibus, ut de omnibus partibus hujus Plantæ earumque uſu, optime ſolidiſſimeque egit Ill. Comes de CAYLVS in ſingulari hac de re vulgata diſſertatione.

Apud eundem T. V. 18. 1. in Monumento antiquo Sacerdotes Agyptii occurrunt cum Philyris Papyri, quæ ſuppoſitas continent Soleas. Simile calcei genus occurrit etiam apud POCOCKIVM T. I. p. 211. in Monumento antiquo Aegyptio; & in Romano Anaglypho apud MONTFAVCONIVM II. 116. 2. ubi Solea rudior, illud calceamenti genus, quod pedum plantis ſupponitur, clare expreſſa eſt.

Apud eundem MONTFAVCONIVM eodem loco N. 1. in Admirandis Romanæ Antiquitatis Summus Aegypti Sacerdos, ſeu Propheta, occurrit, cujus tibiæ & pedes involuti faſciis ex Papyro conſtantibus, ornamento, quod ſimilitudinem habet cum Soccis Veterum, qui a medio crure ad pedes usque arcte adhærebant.

Ad

Ad hoc Monumentum illuſtrandum conferendus etiam videtur TERTVLLIANVS Lib. II. de Senatore, qui Fidei deſertorem, cui ſacra Iſidis exprobrat, ſic alloquitur:

- - - - Caligaque remota
Gallica, ſit pedibus molli redimita Papyro s)

Ubi alii corrigunt, *Sit pedibus mollis redimita Papyrus.* Apparet itaque heic Iſiacum cum Caligis Papyraceis deſcribi, prout ille depingitur in eo, quod nunc citavimus, Monumento.

Si cauſam quærimus, ob quam Sacerdotes Aegyptiorum calceos ex Papyro habuerunt, videmus illam ex eadem ratione deducendam, quæ iis originem linearum dedit veſtium, vel quia pellibus ſacrorum uti noluerunt animalium, vel ob puritatem vel ob Papyri in Aegypto copiam, vel potius ob ſummam hujus ritus antiquitatem, priorem omni alia calceorum ſpecie.

Eadem

s) Comparandum heic eſt Monumentum Montfauconii *Suplém.* 11, 52, 4. ubi Sacer Scriba tibias & pedes pluribus involutos habet Papyri tæniis, fere ad inſtar caligæ.

Eadem ſine dubio cauſa illis etiam anſam præbuit adhibendi calceos ex Palmarum foliis. De his loquitur APVLEJVS Metam. XI. qui de Iſide ait: *Pedes ambroſios tegebant Soleæ Palmæ victricis foliis intextæ.* Idem Lib. II. p. 31. hæc habet: *Et cum dicto juvenem quempiam linteis amictis intextum, pedesque palmeis Baxcis indutum adusque deraſo capite producit in medium.*

Baxcæ erant Crepidæ, de quibus, ut de omnibus ad Calceos Veterum ſpectantibus, legendi Scriptores ampli quidem, ſed non ubique accurati, BALDVINVS, & BYNEVS de Calceis, ac NIGRONIVS de Caligis.

Antequam autem hinc diſcedam, lubet adſcribere egregium Comitis de CAYLVS, qui pag. 6. T. IV. ita loquitur: *Ce Vetement ſi juſte & dune ampleur ſi mediocre couvre & reunit le plus ordinairement les pieds des figures. Je erois qu'il faut regarder calles de catte eſpeçe come les repreſentations de la Divinité, à la quelle toute demarche étoit d'autant plus inutile, que les Egyptiens la faiſoient marcher en Bateau,*

& qu'ils vouloient peut être la repreſenter come fixcé dans leur pais, & hors d'état de ſén eloigner. Si les Prêtres au contraire avoient eu ce même habillement, ils auroient été abſolument hors d'état d'agir & de ſe mouvoir. La poſition qu'ils auroient priſes une fois dans les Temples n'auroit pu ſe changer, du moins a leur volonté; il auroit donc été neceſſaire de les apporter pour la ceremonie, & de les remporter, quand elle auroit été finie.

Ex his itaque rationibus, & ex veterum Aegyptiacorum monumentorum inſpectione judicamus, illas gentis iſtius effigies, ubi veſtes pedes penitus involutos tenent & occultant, nunquam nobis Sacerdotes, nunquam homines, ſed Deos ſemper repræſentare.

Alia quædam Vulgaria Sacerdotum Aegyptiorum Inſignia.

Hæc de Veſtibus Ornamentisque Sacerdotum Aegyptiorum dicenda habuimus; adjungamus adhuc breviſſime Inſignia nonnulla omnibus, vel plerisque Aegypti ſacris Mini-

Digitized by Google

Miniſtris communia; inter quæ ſtatim occurrit *Crux Anſata*, quam iſti ſœpiſſime manibus geſtant; hanc Cl. MARTINVS exiſtimavit eſſe Vannum illam Orgiorum Iſidis; hanc alii majori cum veri ſpecie vel Phallum, vel Clavem eſſe voluerunt. Obſervatur autem ſœpius ut Inſigne Sacerdotum Aegypti, verbi gratia apud Ill. Comitem de CAYLVS V. 23. 1. In Oedipo KIRCHERI III. 501. Apud MONTFAVCONIVM II. 140. 3. In Iſiaca quoque occurrit Tabula, ubi & Diis & Sacerdotibus tribuitur, quod etiam conſpicimus in MONTFAVCONII *Suplem.* II. 51. & *aprés* 51.

Neſcio vero, an cum Cruce Anſata comparare debeam ipſi non admodum diſſimiles Catenulas in manibus Sacerdotum Aegyptiorum in Herculanenſibus Picturis, 315. quas hujus Monumenti Editores explicant per Catenulas illas, cum quibus ſacri Matris Deûm miniſtri ludere conſueverunt. Neſcio quoque, an heic conferendus Sacerdos Aegyptius apud MONTFAVCONIVM II. 139. 1. in genua proſtratus coram phallico Numine catenulas tenens.

Digitized by Google

Aliud explicatu difficillimum Inſigne occurrit apud Illuſt. Comitem de CAYLVS T. V. 20. in manu Sacerdotis Aegyptii; *t*) habet illud aliquam cum remo, remotiorem cum ferula ſimilitudinem. *u*)

Apud eundem T. II. 7. 1. iterum peculiare occurrit Sacerdotis Aegyptii Inſigne, Baculus, inferiori ſua parte in furcæ modum diviſus, quem iſta utraque manu tenet. Clar. hujus Monumenti Editor *x*) heic profert PLVTARCHVM, qui in Scriptione de Iſide & Oſiride tradit, Menſe Phaophi celebratum

t) Comparandum Inſtrumentum non valde diſſimile, in manu *Paſtophori*, Sacerdotis Aegyptii inferioris ordinis, apud Pocockium 1. 108.

u) Cum heic Ornamentorum obſcuriorum, Sacerdotibus Aegypti tributorum, mentionem faciam, obſervatu non indignum videtur eſſe, qui exiſtimant, Pineam Nucem fuiſſe inſigne Sacrorum Aegypti Miniſtrorum, uti illorum, qui Cybeles Sacra ſequebantur. Huc trahunt locum Lampridii in vita Commodi, & comparant Pocockii Monumentum T. I. 211.

x) Conferendus idem T. IV. 7. 1. Montfaucon, II. 118. 3. 140. 7.

Digitized by Google

tum fuiſſe feſtum diem Baculorum, quia tum, locutione ex Aſtronomico Aegypti ſermone deſumta, Sol baculo videbatur opus habere. Hic itaque Sacerdos, & alii, qui ejusmodi baculos tenent, forte hæc inſignia gerunt ob aliquam convenientiam cum feſto die, quem PLVTARCHVS deſcripſit; illum vero vel in Oſiridis, vel in Harpocratis honorem, inſtitutum fuiſſe arbitramur.

Heic quoque in tranſitu agendum videtur de illis ſignis, quæ frequentiſſime inter Monumenta Aegyptiaca occurrunt, una manu recurvum baculum, altera flagellum tenentia, & quæ plerique Eruditorum Oſiridis imagines eſſe putant. Sed ſi cogitemus PLVTARCHVM docuiſſe, & monumenta ab Ill. Comite de CAYLVS y) vulgata id etiam declarare, Oſirin ſemper nudum & ithyphallicum repræſentatum fuiſſe, dubitabimus valde, has effigies, utpote veſtitas & minime obſcenas, Deum iſtum referre; idque eo magis, quod iſtæ imagunculæ aliquando, ut apud Ill. Comitem de CAYLVS T. V.

 24. 3.

y) Tom. II. p. 5. Tom. III. p. 8.

Digitized by Google

24. 3. ſint Sacerdotum inſtar ornatiſſimæ, & innumeris inſignibus conſpicuæ. *z*) Videmus illas porro apud Eundem II. 7. cornubus ornatas, quod forte ad Apidis Sacerdotes referendum eſt.

Flagellum autem eſt Inſigne, quod Sacerdotibus ad abigendos malos Genios puniendosque potuit tribui, ut Oſiridi, qui illud tenet apud Ill. Comitem de Caylvs T. III. 2.

Eædem imagunculæ aliquando annulo minore inſtructæ ſunt, ut poſſint Amuletorum loco geſtari, apud Comitem de Caylvs II. 8. & apud Schawivm; id iterum & Sacerdotibus, & Oſiridi convenit. Aliquando vero, verbi gratia apud Gordonvm in Mumiotheca, in alio conditi cadaveris integumento apud Ill. Comitem de Caylvs V. 8. apud Martinvm in *Explication de divers Monumens* 144. & apud Montfavconivm *Suplém.* II. 51. I. iſtis cul-

z) Ejusmodi Signum Sacerdotem Jelis, ſeu Bubaſtis, repræſentare videtur, apud Ill. Com. de Caylus. VI. 2. 3. 4.

cultus aliquis ab aliis exhiberi videtur. Ex quibus omnibus patet, obſcuriſſimas eſſe iſtas imagunculas, quæ forte ſunt Sacerdotum effigies, aut Amuletorum inſtar geſtatæ; aut mortuis ad averruncanda mala adpoſitæ; forte ſunt Numina quædam Aegypti inferiora; forte etiam, pro vario capitis ornamento, modo Deos, modo Sacerdotes repræſentant.

GENERALES PLVRES ALIÆ OBSERVATIONES DE SACERDOTIBVS AEGYPTIORVM.

Hæc ſunt vulgaria Sacerdotum Aegyptiorum Inſignia, ſed antequam ad ſpecialia tranſeamus, non ab re nobis eſſe videtur, quæſtiones quasdam pertractare, quæ generaliter ad omnes illius regionis ſacros Miniſtros ſpectant. Diſſeremus itaque de Luſtrationibus, quas ſinguli Aegyptiorum Sacerdotum peragere debuerunt. Diſputabimus dein de Lingua illa Sacra, quam Veteres Aegypti Sacerdotibus tribuunt. A Sacris ad Civilia converſi videbimus, quantam in his apud timidum ſuperſtitioſumque

populum Religionis Miniſtri auctoritatem habuerint. Videbimus porro, an cum aliqua veri ſpecie plurimi eruditiſſimique Viri Feminas a Sacerdotio Aegyptiorum excluſerint. Inquiramus tandem in rationes, quibus illi utuntur, qui Aegypti Sacerdotes circumciſione a ceteris iſtius gentis hominibus diſtinctos fuiſſe autumant. Minime quidem diffitemur, has quæſtiones non multum cohærere, ſed pertinent omnes ad Sacerdotia Aegyptiorum, omnes ad generalia, quæ hoc capite pertractanda ſumſimus, argumenta.

De Vita Sancta, Lotionibus, atque Purgationibus religioſis Aegyptiorum Sacerdotum.

Aegyptii Sacerdotes perſuaſi ab iis, qui Sacra obibant, majorem, quam a Vulgo, Sanctitatem requiri, auſteram ſibi vitam aut ducendam, aut ſimulandam eſſe exiſtimarunt, qua ſibi apud populum auctoritatem conciliarent.

Si

Digitized by Google

Si itaque Veteres Scriptores, & præcipue PORPHYRIVM conſulimus, qui ex CHÆREMONE nobis Vitam Sacerdotum Aegyptiorum tradidit, videmus, illos ab aliis Aegypti incolis ut plurimum remotos vixiſſe, iis in ſacris tantum Pompis feſtisque diebus conſpicui, cum cetero tempore fere omnis ad eos aditus obſtructus eſſet. Videmus illos humanarum rerum curam deſerentes, in divina præcipue ſtudia incumbentes, aut incumbere fingentes, in vultu ſeveritatem, in inceſſu gravitatem, in toto corporis habitu modeſtiam præ ſe ferentes. Fuere omnes in victu frugaliſſimi, de vitæ commodis parum ſolliciti, in colloquiis pii, in ſacris parandis religioſiſſimi, ſuperſtitioſiſſimique. Accedebant ad hæc Sacerdotum Luſtrationes, Purgationesque, fere perpetuæ; *a*) accedebant a multis cibis ipſis

a) Sacerdotes Aegyptii tam diligenter munditiam obſervabant, ut & illi, qui eos voluerunt adire, antea purgandi fuerint, teſte Porphyrio p. 361. Hinc eodem Auctore, p. 363. non licuit peregrinis eos accedere, iſtos enim, ut multos cibos vetitos edentes, multa animalia ſacra necantes, pollutos exiſtimabant; qua de re

præſcriptæ abſtinentiæ; & frequentia, quæ diligentiſſime obſervabant, jejunia. Accedere debebat caſtimoniæ ipſis maximopere commendatum ſtudium; de quibus omnibus nunc breviter dicendum exiſtimamus.

Per Luſtrationes Sacerdotum Aegyptiorum heic omnia intelligimus, quæ illi ſanitatis, elegantiæ, magis vero Puritatis Religionisque cauſa, eo fine peragere ſolebant, ut externam aliquam legibus præſcriptam, cultui neceſſariam ſibi ſanctitatem adquirerent. Fuere autem Purgationes iſtæ vel ordinariæ, ſola aqua quottidie ab omnibus peractæ; vel extraordinariæ, ante ſolennia impenſiore cura inſtitutæ.

Ordinariæ Purgationes conſtabant ex Lotionis ritu, Antiquis in ſacris ſolenni & fre-

conferri meretur Herodotus 2. 41. Genes. 43. 32. Comparandi etiam Brachmanes, de quibus ſimilia legimus in Relat. Miſſion. Dan. Cont. VII. *Brachmanes*, dicunt laudati Scriptores, *quia vident Chriſtianos Europæos Vaccas jugulare, & omnis generis animalium carne uti, id ipſis abominationi eſt; propterea non licet illis neque Chriſtianum, neque cibariam ejus ſupellectilem tangere, ne hoc modo polluantur.*

Digitized by Google

frequentiſſimo. *Lavantur quottidie*, ait HERODOTVS p. 102. de Aegyptiis, *bis frigida, item noctu bis.* Et PORPHYRIVS de Abſtin. p. 367. *Ter quoque Sacerdotes Aegyptii aqua frigida ſeſe abluunt; cum ſurgunt a lecto, ante prandium, cum ſe ad ſomnum convertunt.* Sic iidem Sacerdotes ter in die, auctore eodem PORPHYRIO p. 369. & PLVTARCHO de Iſide, Diis Sacrificia, Laudes, Suffitumque offerebant; jam vero apud illam gentem, ut apud pleroſque vetuſtatis populos, nemini licuit ſacra facere, niſi prævia lotione. Id de Aegyptiis teſtatur DIODORVS FICVLVS Lib. I. dicendo: *Deinde Rex cum ſe aqua luſtraſſet, & regni inſignibus adornaſſet, Diis ſacrificatum ibat.* Requirebatur ad Luſtrationes Aqua puriſſima, quo pertinet PLVTARCHVS de Iſide p. 381. dicendo: *Sacerdotes illi, qui maxime obſervantes legum ſunt, luſtrandi cauſa aquam inde petunt, unde Ibis biberit, non enim bibit morboſam, aut infectam aquam, imo ne accedit quidem* b)

Apud

b) Ex hoc loco adparet, non omnes Aegypti Sacerdotes eadem cura Purgationes ſuas peregiſſe, illas enim accuratius obſervabant ſuperio-

Digitized by Google

Apud Apvlejvm Metam. XI. in Luſtratione Iſiaci adhibetur aqua marina, more multis gentibus uſitato, ſed antiquis Aegyptiis, ni fallor, incognito.

Præter Purgationes iſtas ordinarias, quovis die peragendas, Aegyptii alias quoque habuere extraordinarias, peculiaribus quibusdam diebus feſtis, quarum mentionem iniicit Porphyrivs de Abſtin. p. 362. dicendo: *Gravitatem in Sacerdotibus Aegyptiorum commendat perpetua vitæ ſolitudo, cum neque tempore purificationi præſcripto collegis & affinibus ſe miſceri tolerent.* Et pag. 364. *Pane nullo modo utebantur in ſuis purificationibus, quibus peractis ipſo minutim conciſo cum Hyſſopo comedebant; nam Hyſſopum ad purificationem vim habere efficaciſſimam ajebant.* c) De

ris ordinis miniſtri. Conferatur Porphyrius de Abſtin. p. 371. qui ait: *Hic philoſophandi modus vere inter Prophetas, Hieroſtoliſtas, Sacros Scribas & Horologos obtinet; reliqua Sacerdotum turba Paſtorum, Neocororum, & Diis ſubminiſtrantium luſtrantur eodem plane modo, non tamen cum tanta diligentia & continentia.*

c) De Hyſſopo, a Judæis quoque in Luſtra-

Digitized by Google

De iisdem loquitur PLVTARCHVS de Iſide p. 352. *Salem*, Marinum Aegyptiis exoſum, *cibis detrahunt*, *quo tempore ſancte & pure vivunt.* Idem p. 353. *Vinum*, *qui Heliopoli Deum colunt ſacris*, *prorſus nullum inferunt in Templum. Reliqui vino utuntur*, *ſed modice*; *habentque multos ritus*, *quos pure*, *caſte*, *& vini expertes obeunt. d*)

Ampliorem deſcriptionem Luſtrationum exhibet PORPHYRIVS p. 367. dicendo: *Tempus*, *quod requiritur ad perfectionem ſacrorum rituum*, *aliquot dierum complectitur numerum*; *aliud quidem duorum & quadraginta*, *aliud hoc conſtituto brevius*, *vel longius termi-*

no;

tionibus adhibitis, legendus præcipue Cl. Spencerus.

d) De Vino a Sacerdotibus Aegypti rariſſime adhibito conſulendus Porphyrius Loc. Cit. p. 365. Nos vero de hac re alio agemus loco.

Ut Sal & Vinum, cibi exoſi, ſic & Cepæ odio Aegyptiorum expoſitæ in Luſtrationibus vetitæ fuere auctore Plutarcho p. 353. *Sacerdotes*, inquit ille, *averſantur Cepam*, *quia ſola hæc Planta Luna decreſcente viget*, *& Cepæ uſus neque caſtimonias exercentibus commodus eſt.*

Digitized by Google

no; inter quos ſeptem nunquam prætermittuntur dies, quin omnino ſit iis ab animatis abſtinendum, item ab omni olere et legumine; (Fabas præcipue vetitas fuiſſe conſtat ex HERODOTO p. 102) *& maxime a conſuetudine Veneris. e*)

De Jejuniis ante feſtos Iſidis dies legendus iterum HERODOTVS Lib. II. c. 40. Lib. IV. cap. 186. *f*)

De

e) Tranſiere hæc omnia ad Pythagoram, nonnulla eorum etiam ad Romanorum Sacerdotes, de quibus conferendus Plutarchus, qui in Quæſt, Rom. p. 62. Boxhornii, ita ſcribit: *Cur Caſtimoniam ſervantibus uſu leguminum eſt interdictum?*

f) De Jejuniis ſacris plerarumque antiquarum gentium optime egit Cl. Morinus, in *Mémoires de l'Acad. R. des Inſcript.* T. IV. 29. *de l'Uſage du Jeûne chés les Anciens par rapport à la Religion.*

Sacerdotes Aegyptii, auctore Porphyrio p. 364., nil comedebant, niſi quod in iſtorum regione creſcebat, qua in re, ut in pluribus aliis placitis, fervidum Patriæ amorem, politicamque rationem Religioni immixtam deprehendimus.

Digitized by Google

De Caſtimonia, quæ requirebatur in Sacris Aegyptiorum, teſtes habeo CLEMENTEM ALEXANDRINVM *Stromatum* Lib. I. *g*) JVVENALEM VI. 535. aliosque Romanorum Poëtas, qui magnum ſanctitatis ſtudium temporibus Iſiacorum Solennium, quod & in pluribus aliis Sacris uſitatum fuit, ab iis poſtulatum fuiſſe tradunt, qui illorum participes erant. PROPERTIVS Lib. II. Eleg. 24. *h*)

Tri-

g) In Aegypto primum licita Venus ſacris temporibus, ſacrisque Viris ſœpius videtur fuiſſe prohibita; ſic novimus recentioribus temporibus *Encratitas*, ſeu *Continentes*, *Evangelio ſecundum Aegyptios* utentes, continentiæ placito, quod in eo docebatur, firmiter adhæſiſſe; Hinc quoque probante Cl. Moſhemio in Hiſt. Chriſt. Primorum Sæculorum, deducendi *Aſcetæ*, qui vino, mulieribus, variis optimisque cibis, ac omnibus illis, quæ humano generi ad utilitatem, honeſtamque delectationem conceſſa ſunt, abſtinebant; ut & ii, qui ſuperbia plerumque tumidi, omnia hominum reſpuebant commercia, quique cum triſti iſta vita, pro more Aegyptiorum & Juniorum Platonicorum Myſticas doctrinas, allegoriasque jungebant; quæ omnia Alexandrinæ potiſſimum videntur eſſe originis.

h) Idem in ſequentibus Iſidem ita alloquitur:

Triſtia jam redeunt iterum Solennia nobis,
Cynthia jam noctes eſt operata decem;
Atque utinam Nilo pereat quæ Sacra tepente
Miſit matronis Inachis Auſoniis;
Quæ Dea tam cupidos toties diviſit amantes,
Quæcumque illa fuit, ſemper amara fuit.

Iidem tamen Poëtæ aliquando & libidinem laſciviamque in Sacris Iſiacis Romæ locum habuiſſe teſtantur & perſuadent, quam in rem conferri poſſunt Interpretes Jvvenalis Sat. VI. ad verba, *Iſiacæ Sacraria Lenæ.* Et Ovidivs de Arte Amandi 1. 77.

Neu fuge Linigeræ Memphitica templa Juvencæ,
Multas illa fecit, quod fuit ipſa Jovi.

Si durum moleſtumque vitæ genus; ſi cruciatus afflictationesque Sacerdotum Aegyptiorum; ſi prævias, antequam in Sacra reciperentur, initiationes perpendimus, quarum mentionem facit Porphyrivs de Vita Pythagoræ; ſi Epiphanivm evolvimus L. III. T. 2. p. 1092. Adv. Hæreſ. tradentem

An tibi non ſatis eſt fuſcis Aegyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via?
Quid tibi, quid prodeſt viduas dormire puellas?

tem Aegypti Sacerdotes Saturno dicatos ferreis collaribus ſe ipſos illigare, circulosque ſibi naribus affigere conſueviſſe; ſi hæc cum iis comparamus, quæ Eſſeni, Nazaræi, Mithriaci, Pythagoras, Turcæ, & præcipue quæ Indorum Fanatici Religionis cauſa fecerunt, faciuntque, adparebit magna illorum cum Aegyptiis in his ſimilitudo; ubi caute tamen judicandum, & non ſtatim, quod fecit LA CROZIVS in Hiſtoria Chriſtianorum Jndiæ, aliique plures, antiquioribus Aegyptiis illud tribuendum, quod forte recentiori tantum tempore ibi locum habuit. Præſcriptiones plures de cibis quibusdam Aegypti Sacerdotibus vetitis, & de caſtimoniis, antiquæ videntur originis; aliæ de moleſtiis ſuppliciisque, ad ineundam apud Deos gratiam ſibi adferendis, forte poſteriorum ſunt temporum. *i*)

i) Pleraque illorum, quæ heic de Vita Sacerdotum Aegyptiorum ſcripſi, multa, quæ poſtea de variis illorum ordinibus, muneribusque tradenda ſunt, deſumſi ex loco Chæremonis apud Porphyrium; qua occaſione notandum videtur eruditiſſimos viros, LaCrozium, Jablonskiumque, oſtendiſſe, hunc Scriptorem magni momenti diverſum eſſe ab jactantiore illo Chære-

Digitized by Google

De Sacra Aegyptiorum Sacerdotum Scriptura, Linguaque; & de arcanis illorum Traditionibus.

Inter præcipua officia plerorumque Aegypti Sacerdotum, & maxime Sacrorum Scribarum, erant ſtudia Scripturæ, tum vulgaris, tum Hieroglyphicæ; quarum priorem omnibus, poſteriorem vero iis tantum, qui ſe ſuperioribus ſacri ordinis dignitatibus conſecrarunt, tradere explicareque ſolebant.

Diodorus Siculus Lib. I. p. 91. de hac re ita loquitur: *Sacerdotes duo Littera-*
rum

mone, cujus Strabo in rebus Aegyptiorum men-
tionem facit. Iidem ingenioſiſſime deprehen-
derunt Philonem in *Vita Contemplativa* de *Thera-*
peutis agentem ea, quæ Chæremon Sacerdotibus
Aegypti adſcribit, *Therapeutis* illius regionis tri-
buere; qui ipſi, ſi iſtos audiamus, non Chri-
ſtiani fuere, non Judæi, ſed Aegyptii Philoſo-
phi, nomen ſuum vel inde ſortiti, quod Dei
cultores miniſtrique; vel quia corporis animique
morbos ſe curare jactabant. Quoquo modo au-
tem ſe res iſta habeat, illud ſaltem certum eſt,
Therapeutas & Eſſenos iſtis in pluribus ſimi-
les, in multis quoad vitæ genus cum Sacer-
dotibus Aegypti convenire.

Digitized by Google

rum genera, tum quas Sacras vocant, tum, quæ facilius & a vulgo ediſcuntur, pueros docent. Idem pag. 176. L. 3. ubi de affinitate Aethiopum, Aegyptiorumque agit, hæc habet: *Cum enim ſuæ Aegyptiis ſint Litteræ, ab omnibus promiſcue diſci conſtat, quas vulgares adpellant; Sacras autem quas nominant, a Sacerdotibus tantum ſecreta parentum diſciplina traditas cognoſci; quibus tamen omnes indiſcriminatim Aethiopes utantur.* k) Et HERODOTVS L. II. p. 102. *Litteris duplicibus utuntur, quarum unas Sacras vocant, populares alteras.*

HERODOTVS & DIODORVS SICVLVS duo Litterarum genera in Aegypto uſitata & Sacerdotibus cognita fuiſſe contendunt; quibus contrariari videntur CLEMENS ALEXANDRINVS & PORPHYRIVS, qui tres

k) Conferendus Idem L. III. c. 4. & Heliodorus Aethiop. L. IV. p. 174. ubi hæc leguntur: *Faſciam perlegi litteris Aethiopicis, non vulgaribus, ſed Regiis notatam, quæ iis ſunt ſimiles, quas Aegyptii ſacras cognominant:* Illis, qui Aethiopibus non modo Sacras, ſed & vulgares tribuunt Litteras, majorem, quam Diodoro, habemus fidem.

Aegyptiarum Litterarum agnoſcere videtur ſpecies; CLEMENS enim *Stromat.* V. 555. *l*) de hac re ita loquitur: *Jam vero qui docentur ab Aegyptiis primo quidem ediſcunt viam & rationem Aegyptiarum Litterarum, quæ vocatur* Ἐπιστολογραφικὴ; *ſecundo Sacerdotalem, qua utuntur Sacri Scribæ; tertio Hieroglyphicam, Sacram, quæ inſculpitur, Scripturam.* PORPHYRII verba in Vita Pythagoræ p. 15. hæc ſunt: *Pythagoras in Aegypto quidem cum Sacerdotibus vixit, & ſapientiam & linguam eorum perdidicit; atque triplex Litterarum genus, Epiſtolicum ſcilicet, Hieroglyphicum, & Symbolicum.*

Ut diſſenſus iſte tollatur, ſtatuendum eſt, duo potiſſimum fuiſſe Scripturæ apud Aegyptios genera; primum, quo omnes uti ſolebant, & de plebe homines, *Epiſtolographicum*, conſtans ex Litterarum Elementis, cujus pauca quædam & pretioſa veſtigia in TRI-

l) Idem p. 633. ait, apud Aegyptios a Sacro Scriba requiſitam fuiſſe ſcientiam Scripturæ Hieroglyphicæ.

TRIVVLTIANIS DIARIIS, in MONTFAVCONIO, & præcipue apud Illuſtr. Comitem de CAYLVS ſervata eſſe video. *m*)

Alterum vero genus Scripturæ conſtabat ex variis figuris, non rerum quidem in Lingua Aegyptiorum ſonos ope Elementorum, ſed ſpecies illarum menti imprimentibus. Hoc vero genus jam iterum in duas dividi poteſt claſſes; prima enim & antiquiſſima harum Scripturarum erat propria, Κυριολογικὴ, imitatio mera rei repræſentandæ, in qua Sol orbe integro, dimidio Lunæ depingebatur. Altera & poſterior ſpecies Scripturæ, quæ non ex elementis litterarum conſtabat, erat impropria, res quaſcunque per alias, quæ illarum informationem in animis ſignare poterant, repræſentantia. *n*) Impropria hæc Scriptura, cujus plu-

m) *Journal de Trevoux* Jun. 1704. Montfaucon *Ant. Expl.* T. II. 40. *Suplem.* II. 54. *Catal. de S. Genevieve* p. 65. *Caylus Recueil d'Antiquités* T. I. 21. & T. V. 26.

n) Plura hac de re ſcriberem, niſi Ingenioſiſſimi de Guigues continui, docti, felicesque

plurima exempla in HORI Hieroglyphicis exſtant, Lunam ſele, Solem Scarabæo, aut Accipitre, Typhonem Crocodilo, & Hippopotamo indicare ſolebat; fundata autem fuit in priſcæ Aegyptiorum Theologiæ intimis fabulis ac Myſteriis. Hæc origìnem dedit, vel potius eandem originem habuit cum Sacra Lingua, quam Sacerdotes Aegyptii, & quidem præcipue Sacri Scribæ in religioſis monumentis ſoli adhibere conſueverunt; ſoli legere, ſoli intelligere potuerunt.

Linguæ hujus mentionem fecit MASCETHO apud SYNCELLVM, qui illam *Ἱερὰν Διάλεκτον* vocat. Ejusdem & meminit JOSEPHVS contra Appionem Lib. I, c. 14. *o*) qui

labores, in comparanda antiqua Sinenſium Aegyptiorumque Scriptura, nobis de obſcuriſſimo iſto argumento egregiam, & ob ſummam difficultatem antea ne exſpectatam quidem lucem, cum maxima veri ſpecie promitterent.

o) Joſephus Lib. I. Cont. App. p. 26. adfirmans, Avarin, Urbem Aegypti, ſecundum antiquiſſimam Theologiam vocatam fuiſſe Typho-

qui eam Ἱεραν γλωσσαν adpellat; rationem illius ex ſequentibus perſpicere licebit exemplis.

Sacerdotes Aegyptii, auctore PLVTARCHO in Scriptione de Iſide, Ferrum Oſſa Typhonis, Salem Typhonis Spumam *p*) in Sacra illa Lingua vocabant; Vinum vero ſanguinem illorum, qui Diis bellum intulerunt. *q)* Ex iis autem ſcriptis, quæ DIOSCORIDIS NOTHA appellantur atque ex

niam, per hanc Sacerdotalem intelligit Linguam, quod a Clar. Jablonskio probatum fuit. Ex rationibus autem & exemplis heic allatis adparet, pleraque vocabula Sacræ iſtius Linguæ ex nominibus Deorum Animaliumque ſacrorum Aegypti deſumta fuiſſe, & per phyſicam illorum Theologiam explicanda eſſe.

p) Plutarchus hujus rei rationem adfert dicendo p. 363. *Sunt, qui dicunt, Typhonem eſſe Mare, eaque de cauſa Sacerdotes & mare abominantur, & Salem Typhonis ſpumam vocant.*

q) Sic Manichæi, quorum pleraque placita Aegyptia, Vinum Fel Principis Tenebrarum, alii ſanguinem Diaboli vocaverunt; quod ab inebriante ejus virtute deducendum videtur.

Apvlejo de Viribus Herbarum patet, Sacros Aegyptiorum Prophetas Plantis præter nomina propria alia quoque impoſuiſſe, ex Theologia illorum deſumta. Iſti itaque Quinquefolium vocabant Ἑρμῦ Δάκτυλον, & *Ibidis Unguem* ac *Alam*, quia hæc Avis Mercurio ſacra fuit; *r*) Anethum vero *Mercurii Genituram*, & *Cynocephali Pilos* ac *Partum*; hoc enim animal æque ac canes Anubidi Aegyptiorum conſecratum erat. *s*) Iidem auream Buphtalmum fulgenti Anubidis, ſeu Caniculæ Stellæ, comparatam, *Mercurii* vocabant *Genituram*. *t*) Malvam *Oſiriacam*, *u*) & Halimum *Oſiridis Diadema* *x*) adpellabant; a Sacerdotibus enim Aegyptiis, omnes conſenſus concentusque Naturæ

r) Dioſcor. Notha Edit. Wechel. A. 1598. p. 465.

s) Dioſcor. Notha, p. 455.

t) Notha Dioſcor. p. 460.

u) Apulejus de Vir. Herb. cap. 4.

x) Notha Dioſcor. p. 443.

ræ inveſtigantibus, obſervatum fuit, magnam eſſe vim Solis in harum plantarum motus. Iidem Hyoſciamum & Dracontium Τυφώνιον, y) Scillæ Bulbum *Oculum Typhonis* nominabant, z) ob noxias iſtarum vires.

Alia plura ejusmodi conſulto prætermitto, cum ex his ſatis conſtet, Linguam Sacram Aegyptiorum Sacerdotum non ex alio vetuſtiore, ut quidam putant, & ex diverſo ſermone, verba ſua ſumſiſſe, ſed vocabulis Aegyptiis res improprie pro eo nomine, quod in Sacris habuere, non ex uſu vulgari adpellare conſuevilſe. Sic Romanorum Sacerdotes videntes Quercum dicere potuiſſent, Aſpice Arborem Jovis; videntes Populum, En Robur Herculis; ex quibus minime concludendum, eos in Sacris non Latina, ſed alia uſos fuiſſe Lingua.

Adparet itaque, arrogantes callidosque Sacerdotes Aegyptios operam dediſſe, ut per

y) Notha Dioſcor. p. 467. Apulejus Cap. 14.

z) Apulejus cap. 42.

per impropriam Scripturam, per Linguam allegoriis plenam, per mille obſcuras figuras & ænigmata, ſcientias ſibi ſolis cognitas ſuperſtitioſo vulgo occultarent, ambigua tenebroſaque magis, quam aperta ac explanata, ubique amanti venerantique *a*) Hujus rei teſtem habeo Jamblychum de Myſter. Sect. VII. ita ſcribentem: *Aegyptii ipſam Univerſi Naturam Deorumque operationem imitantes myſticarum quoque & latentium abſconditarumque notionum imagines quasdam in Symbolis conficiendis oſtendunt; quemadmodum & ipſa Natura rationes occultas in formis adparentibus quaſi Symbolis exprimit, & ipſa Deorum operatio idearum veritatem delineat in imaginibus conſpicuis. Cum igitur intelligant ſuperiora omnia delectari inferiorum conformitate per imitationem, quam poſſunt, maximam, cupientes iſta repræſentare formis, merito ipſi quoque Religionis*

a) Philo Judæus, de Vita Moſis p. 106. hæc Aegyptiorum Sacerdotum Studia vocat Τὴν διὰ Συμβόλων Φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς λεγομένοις ἱεροῖς Γράμμασιν ἀποδείκνυνται.

nis Symbolicæ rationem, Diis congruam, adinvenerunt. b)

Hunc Συμβολικῶς docendi modum ab Aegyptiis Sacerdotibus, auctore JAMBLYCHO, didicit Pythagoras, de quo iſte in ejusdem Vita, pag. 16. ita ſcribit: *Viam docendi per Symbola ingredi cœpit eodem modo, quo ipſe in Aegypto doctus erat.* Et pag. 86. *Illam docendi rationem, quæ Symbolis conſtabat, maxime neceſſariam ducebat; hic enim character apud Græcos omnes fere ut antiquiſſimus excolebatur; inprimis vero Aegyptii multiplici cum honore proſecuti ſunt.* Et PLVTARCHVS de Iſide p. 354: *Pythagoras in maxima admiratione habuit imitatusque eſt Sacerdotes Aegyptios, & rationem eorum, res notis quibusdam & per ambages proponendi, ſuasque ſententias involucris tegendi; nam, quæ vocantur Litteræ Hieroglyphicæ, his pleraque Pythagoræ Symbola nihil concedunt.*

Sacer-

b) Res, quam Jamblychus heic tradit, certa; ratio vero & illius origo, quam is ſuppeditat, recentioris Platonici ſolerti ingenio propior, quam veritati.

Digitized by Google

Sacerdotes autem Aegyptii præter Linguam Scripturamque iſtam Sacram ac arcanam, habuere etiam plures alias occultas Traditiones a prioribus acceptas, quas nemo niſi illorum ordini dicatus cognoſcere debebat; de qua re præ ceteris legi meretur Franc. Patritivs *de diſciplina Arcani* Diſſert. Peripateticarum T. III. L. I. *c*) qui oſtendit, Aegyptios, Chaldæos, Perſas, Indos, omnesque ſere vetuſtas gentes Sacra ſua velo tegere, & ex parte tantum vulgo tradere conſueviſſe, ſervantes ſolis Sacerdotibus alia, quæ illis temporibus Religioni auguſtiorem Sanctitatem, ejusque mininiſtris apud ſuos auctoritatem, apud exteros admirationem conciliare poterant. Arcanarum iſtarum Sacerdotalium Narrationum ampla eſt mentio apud Herodotvm, Diodorvm Sicvlvm, Plvtarchvm, Chæremonem, aliosque plures. *d*) Talia

ſacra

c) Conf. Clemens Alex. Strom. V. 566.

d) Ex his Scriptoribus patet, Sacerdotes Aegyptios de una eademque re plures habuiſſe Tra-

ſacra & rudi vulgo non cognoſcenda placita habuere de Oſiridis interitu, de Origine Cultus Animalium, & de aliis ejusmodi graviſſimis pravæ Religionis capitibus; horum cognitionem dicebant ſe accipere ex toties laudatis Mercuriis ſcriptis, quæ Sacri Scribæ legere, & in Pompis cum majeſtate circumferre ſolebant; non enim omnes Sacerdotes, ſed ſuperior ſolum illorum ordo hæc inſpiciebat, auctore Clemente Alexandrino pag. 566. qui ait: *Aegyptii non quibuslibet ea, quæ erant apud ipſos, committebant Myſteria; neque rerum divinarum cognitionem deferebant ad profanos, ſed ad eos ſolos, qui erant ad regnum perventuri; & ex Sacerdotibus iis, qui judicati fuerunt probatiſſimi, & educatione, & doctrina, & genere.* e)

Ex

ditiones, quæ ſibi ſœpius contradicebant; ſi Græci eorum mentem rite intellexerunt. Et certum eſt in Religionibus, quæ traditionibus iisque arcanis nituntur, majores plerumque eſſe diſcrepantias, quam in iis, quæ Doctrinas ſuas ſcripto conſignatas habent.

e) Scriptor Quæſtionum & Reſpons, ad Or-

Ex Porphyrio quoque, de Vita Pythagoræ p. 10. adparet, Sacerdotes Aegyptiorum neminem arcanorum ſuorum Myſteriorum, quæ pleriſque Græcorum originem dederunt, participem eſſe voluiſſe, niſi qui ante dura moleſtaque multa initiamenta perpeſſus fuerit; quem morem Cl. Kvstervs in Commentariis ad hunc locum optime illuſtravit.

Auctoritas & Officia Sacerdotum in Re Civili.

Cum Religionis in re Politica utilitas tanta ubique ſit, cumque præcipue in Aegypto Sacerdotes in ſumma apud omnes veneratione conſtituti ceteris eruditiores religioſioresque cenſerentur, contigit, ut maximam quoque in regimine auctoritatem, præ-

thodoxos p. 406. Oper. S. Juſtini ait: *Aſtronomiam & Aſtrologiam, atque Geometriam apud Aegyptios habitas fuiſſe diſciplinas vulgares humiles; in honore autem & pretio fuiſſe, quæ vocantur Litteræ Hieroglyphicæ; atque in Adytis, ac abditis locis non cuivis de plebe, ſed eximiis tantum & delectis traditas fuiſſe.*

Digitized by Google

præclaraque habuerint officia, de quibus nunc dicendum exiſtimamus.

De Judicibus Judiciisque iſtius gentis ſingularem quidem librum vulgavit Cl. NICOLAI inſcriptum de Synedrio Aegyptiorum; in quo capita illius, eorumque ordines & numerum, legumque Aegyptiarum rationem explanavit; ſed manent multa in hac re ab eo Scriptore aut negligentius omiſſa, aut non magna judicandi vi tractata; de quibus nunc non diſputamus; nam ſatis erit ea, quæ de Sacerdotibus Judicibus Aegyptiorum apud antiquos invenimus, ad generale hoc caput pertinentia, adferre, & pro conſuetudine noſtra brevibus commentariis illuſtrare.

AELIANVS Var. Hiſt. Lib. XIV. Cap. 34. ita ſcribit. *Aagyptii ſua jura a Mercurio profecta eſſe jactitant; f) ita plerique ſua commendare & auguſtiora reddere ſolent. Judice*

f) Soli Sacerdotes hujus Scripta, Scientiasque poſſidere exiſtimabantur.

Digitized by Google

dices autem apud Aegyptios iidem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes. Conſentit Diodorus Siculus Lib. I. 85. qui opifices, milites, agricolas, omnes, qui Sacerdotio non fungebantur, a civilibus excludit negotiis, quod de vetuſtioribus temporibus, ubi ſoli Sacerdotes Scientiarum cuſtodes, certum eſſe videtur. Idem Scriptor pag. 86. de Judiciis Aegyptiorum ita loquitur: *Nec absque ſucceſſu conſilium fuit, quo optimos ex civitatibus nobiliſſimis viros judiciis præfecerunt; nam ex Urbe Solis, & Thebis, & Memphi denos Judices elegerunt, qui congreſſus nec Areopagitis Athenienſium, nec Senatui Lacedæmoniorum poſtponendus videtur; congreſſi hi triginta viri unum e collegio, & quidem optimum, præſidem Judiciorum creaverunt; in cujus locum Urbs alium mittebat Judicem, & ſtipendia in victum & alius res neceſſarias a Rege Judicibus præbebantur; ſed principi illorum Judici multo amplius. u)*

Ex

g) Hæc Judicia nunc plus, nunc minus juris in Regno habuere, nonnunquam Regi ſubdita fuere, alio tempore illi legem tulerunt.

Ex hoc loco efficitur, ſummum Aegyptiorum Conſilium, fuere enim ſine dubio etiam minora, triginta Virorum cum Præſide fuiſſe; huc nos ducit idem ſcriptor p. 58. qui inquit, *in parietibus Sepulcri Oſymandiæ juri dicendo præfectos numero triginta depictos fuiſſe.* Hi delecti erant ex tribus præcipuis Aegypti Urbibus, ubi & maxima Sacerdotum Collegia, & illuſtriſſimæ ſcientiarum ſcholæ, & antiquiſſimæ bonarum artium ſedes. Quod vero ad numerum triginta iſtorum virorum attinet, exiſtimant multi illius originem deducendam a triginta Aegypti Provinciis; alii cum nunc laudato DIODORO SIC. contendunt, decem Judices ex tribus præcipuis Aegypti Urbibus ex tempore fuiſſe conſtitutos, quo Aegyptus tribus ſubdita Regibus has Civitates, ut totidem Regum ſedes, habuit; poſtea vero, cum hæc Regio unius tantum imperio ſubdita, tres iſtas Urbes retento veteri jure Judices ſuos; ad magnum Concilium Thebanum mittere conſueviſſe. *h)*

F De

h) Judicia Privata pro variis Aegypti Provinciis multa probare videntur, ac præcipue

De Sacerdote autem Summo Aegyptiorum Judice, horum triginta virorum Præſide, alio egimus loco, ubi & Inſignia illius enodare tentavimus.

Tantam quoque in Regimine poteſtatem poſſedere Sacerdotes, ut Regum plurimi ex eorum numero fuerint electi; *i*) aut, ſi

Strabo Lib. XVII. tradens, in Imandis Sepulcro tot Aulas factas fuiſſe, *quia omnes Provinciæ eo conveniebant, ubi epulum quoddam Sacris Viris & mulieribus fiebat ſacrificii gratia Deo reddendi, & juris dicendi de rebus maximis; ac tum quæque Provincia in Aulam ſuam procedebat.*

Notandum quoque videtur, Aegyptiorum Sacerdotes inter civilia officia & hoc habuiſſe, ut vectigalibus fuerint præpoſiti, auctore Clemente Alexandrino, cujus teſtimonium alio proferemus loco.

i) Cum Regnum Aegypti plerumque uni Principi ſubjectum, & hæreditarium fuerit, ea, quæ de Electione Regum legimus, & præcipue de illis, qui ex ordine Sacerdotali deſumti fuere, vel tantum de antiquiſſimis temporibus, vel de caſu extraordinario, vel de confirmatione Hæredis Regii, vel potius ita intelligenda ſunt, quod regni ſucceſſor a teneris cum Sacerdotibus vixerit, & in eorum ordinem cooptatus

ſi ex alio hominum genere, militibus nempe, deſumti, ubi primum Reges fierent, ſtatim etiam in Sacerdotalia recepti Collegia, quibus fere ſolis in tota illa Regione antiquitus conceſſum fuiſſe videtur, ex una in alteram claſſem tranſire. Hoc itaque modo ſapientiſſimi Aegypti Reges, Sacerdotii honore præditi, Regnum fortiſſima illa Religionis auctoritate rexerunt; conferendus PLVTARCHVS de Iſide p. 354. qui ait: *Reges porro aut e Sacerdotibus legebantur, aut e bellicoſis; cum hoc genus ob virtutem, illud ob ſapientiam in honore & dignitate eſſet, qui autem e bellicoſis eligebatur Rex, ſtatim ſe Sacerdotibus dabat, ac Philoſophiæ fiebat particeps.* PLATO quoque Politic. 290. adfirmat nefas fuiſſe, in Aegypto Principem ſine Sacrorum Scientia Regni gubernacula tractare. *k*)

fuerit, quod maximum erat potentiæ ejus firmamentum.

k) Comparandus Syneſius, de Provid. I. 93. qui de Aegyptiis ait: *Rex enim una & Sacerdos & Sapiens erat.* Sic auctore Cicerone de Divinat. L. I. Rex Perſarum nemo poterat eſſe, qui non

Ad confirmandam auctoritatem Sacerdotum in Regimine Aegyptiorum facit etiam peculiaris narratio Synesii de Regis Electione, quam ſilentio præterire non poſſumus; ille vero occaſione deſcriptionis Regni Oſiridis, de Provid. 94. ita loquitur: *Is eſt apud Aegyptios Regum creandorum ritus: haud procul ab ampliſſima Thebarum civitate mons ſacer eſt, & ex illius adverſo mons alius, medius inter utrumque, Nili Fluvius; ex his montibus, qui e regione alterius eſt, Lybicus adpellatur, in eoque cautum eſt toto adparatus tempore Regni Candidatos verſari, ne quid de hac creatione intelligant. Alter vero, qui etiam ſacer eſt, Aegyptius dicitur, ejus in vertice Regis eſt Tabernaculum, cui ex Sacerdotibus proxime adſident ii, qui præ ceteris inſigni ſapientiæ genere commendantur, atque ita ad eximios quosque & præſtantiſſimos ordo progreditur, ſedibus cuique pro Sacrorum dignitate diſtributis; ac illi quidem Regem veluti cor ambientes, primum orbem faciunt. — At ii, penes quos jus eſt omne creandi Principis, ſimul ac divinis rebus opera*

a Re-

ante Magorum diſciplinam ſcientiamque percepiſſet.

a Rege data eſt; & ab iis, quorum id munus, motum Sacerdotum Concilium, tum quaſi præſente Numine, communemque cum illis ſuffragiorum curam gerente, prolato alicujus ex Candidatis nomine, milites quidem manus tollunt; Comaſtæ vero, & Zacori, & Prophetæ calculos ferunt, pauci aliqui, ſed quorum præcipua eſt ea in re auctoritas; Prophetarum enim calculus centum manus æquat, Comaſtarum viginti, Zacororum decem.

Hæc SYNESIVS, ex quo adparet, quanta in eligendo Rege fuerit Sacerdotum auctoritas; ex eodem diverſi gradus Sacerdotii intelligi queunt, de quibus dicendum eſt alio loco. *Alinéa.* Jura Sacerdotum in Civilibus Aegypti rebus non modo ex magno Concilio juri dicendo præfecto, & ex illis conſtante; Regeque ex eorum ordine aliquando electo, ſemperque in illum cooptato, probari poſſunt; verum etiam inde, quod iſti, uti Brachmanes apud Indos, Magique inter Perſas, Regibus ſemper adfuerint, quos in graviſſimis rebus ducere ſolebant per præſenſionem & ſcientiam futurorum, quam ſibi cognitam eſſe gloriabantur. Sacerdotes

iſti in vita Reges erudire, conſiliis juvare, in morte vero de illis judicia ferre conſueverunt; de qua re nonnulla Veterum, & præcipue Diodori Sicvli loca congeremus. l) Sic itaque ſcribit p. 80. *Primi Aegyptiorum Reges non pro ceterorum inſtituto Monarcharum vitam agebant, ut omnia ſcilicet ad ſuum arbitrium nullis obnoxii cenſuris moderarentur; ſed univerſa non modo publice gerenda, ſed & quottidianæ vitæ regimen, & victus ratio, ad legum normam conformata erant. Quippe ad miniſteria illorum nullus adhibebatur ſervus, neque emeritus neque verna, ſed nobiliſſimorum tantum Sacerdotum filii, viginti annos egreſſi, & præ ejusdem gentis hominibus ceteris optime inſtituti. — Tum*, ſingulis horis *matutinis, lotus Rex, & regni inſignibus ſplendidaque trabea ornatus, Diis ſacrificatum ibat; adductis tum ad aram victimis mos erat, Principem Sacerdotum Regi adſtantem magna voce in conferta*

l) De ſumma cura omnium Aegyptiorum pro ſalute & educatione Regis ita ſcribit Diodorus Siculus pag. 82. *Non enim Sacerdotum tantum collegia, ſed univerſa Aegyptiorum natio, non tam de uxoribus, liberis, & bonis ſuis, quam de ſalute Regum ſuorum ſolliciti.*

ferta Aegyptiorum corona preces enunciare, ut Dii ſanitatem cum bonis ceteris omnibus Regi, Jus & æquum erga inferiores tuenti, largiantur —. Poſt hæc, cum extis victimæ perſpectis Rex perlitaſſet, Sacer Scriba conſilia & facta quædam clariſſimorum virorum, ad vitam conducentia, ex ſacris perlegebat commentariis. m)

Idem DIODORVS SICVLVS pag. 84. ita loquitur: *Sacerdotes, ut Senatus Principes, Regi perpetuo præſto ſunt, qua opere, qua conſilio, & doctrina ipſum adjuvantes.* n) *Ex Aſtrologia quidem, & ſacrorum inſpectione futura divinant, & prædicunt; e ſacrorum vero*

m) Ex hac deſcriptione vitæ quottidianæ Regiæ patet, quænam fuerint diverſorum Sacerdotum varia apud Principem munera; & ob hanc præcipue cauſam hunc locum, etſi longiorem, protulimus.

Ex eo quod legamus, Sacerdotem ſacrificantem oraſſe pro vita Regis, adparet, in Sacrificiis iſtius gentis etiam Vota nuncupata fuiſſe.

n) Strabo L. XVII. p. 1135. *Sacerdotes Philoſophiam & Aſtronomiam exercebant, & cum Regibus converſabantur.*

Digitized by Google

librorum annotatis res geſtas cum utilitate conjunctas prælegunt. o)

Officia autem Sacerdotum in Regis obitu hoc modo deſcribit toties laudatus Scriptor, qui ſua ſe ex ipſis Sacrorum Miniſtrorum commentariis hauſiſſe adfirmat, fuitque vir in rebus politicis tradendis accuratiſſimus: *Neceſſariis ad funerationem Regis magnifice præparatis, & dierum ultimo cadaveris arca in veſtibulo ſepulcri expoſita, de legis præſcripto in honorem defuncti ab eo in vita geſtorum dijudicationem inſtituerunt, ubi ſi quis accuſare vellet, liberam habebat poteſtatem. Laudes autem Regis peregerunt Sacerdotes, unumquodque præclarum ejus facinus recenſentes, & multa hominum millia ad funeris deductionem congregata, ſi vitam bene peregiſſet, audito rumore ſecundo perſequebantur; ſin vero minus obſtrepebant; multi itaque Reges ob plebis refragationem conſpicua & ſolenni funerationis pompa carue-*

o) Ex hoc loco, & ex pluribus aliis rationibus conficitur, Sacerdotes etiam monumentorum hiſtoricorum in Aegypto cuſtodes fuiſſe.

Digitized by Google

caruere. p) — *De Regum antiquorum moribus hæc potiſſimum dicta ſufficiant. q)*

Pertractatur Quæſtio, an Feminis in antiquo Aegypti Sacerdotio locus aliquis conceſſus fuerit.

Ex difficillimis Quæſtionibus generalibus de Sacerdotibus Aegyptiorum illa eſt, quæ

p) Comparant nonnulli, impios Reges Judæorum & Aſmonæorum non in parentum ſepulcra relatos; ſed differt hoc a ſapientiſſimo illo Judicio in Aegypto poſt obitum ut de omni homine, ſic & de ipſo Rege ita inſtituto, ut legum vis ultra ipſam mortem civium valeret; quod vetuſtis temporibus præfracte & adhibita omni ſeveritate peractum Aegyptiis multorum bonorum; exteris vero illud non rite intelligentibus, poſtea plurimarum fabularum cauſa fuit. Conf. Cl. Michaelis Epimetron ad IX. Prælect. Rob. Lowth de Sacra Poëſi Hebræorum p. 193. T. I.

q) Ex ultimis his verbis patet, quod quivis facile largietur, ea, quæ heic de Sacerdotum in Regno juribus diſputavi, de antiquioribus intelligenda eſſe temporibus, hinc & incertiora eſſe. Idem Diodorus p. 80. dicit ea, de quibus heic egimus, contigiſſe ſub primis Aegypti Regibus.

Digitized by Google

quæ in id inquirit, an Mulieres ſemper in Aegypto Sacerdotalia obierint munera; de qua re graviſſimus Scriptor, Herodotus, qui teſtatur ſe Aegypti Sacerdotibus familiariter uſum fuiſſe, Lib. II. p. 89. ita loquitur: Ἱρᾶται γυνὴ μὲν ὀυδεμίη ὄυτε ἔρσενος Θεȣ̃, ὄυτε θηλέης; Ἄνδρες δὲ πάντων τε καὶ πασέων. *Nulla Mulier in Aegypto Sacerdos eſt neque Dei neque Deæ, ſed viri Deorum omnium & Dearum.* r)

Cogitabam aliquando, forte vocabulum Γυνὴ heic tantum de Uxore intelligendum eſſe, ſed cum dicatur, omnes Sacrorum Miniſtros fuiſſe viros, video huic obſervationi, quam Græcus ſermo permitteret, heic locum nullum ſupereſſe. Forſitan poſt tempora Herodoti hac in re aliquid immutatum; exceptio enim heic facienda videtur, neque in univerſum hoc teſtimonium adſumi poteſt; nam adſunt Monumenta antiqua Aegyptia, in quibus certiſſime feminæ ſacra procurant; præſto ſunt & alia, quæ ſi

r) De loco Herodoti, & de tota hac diſputatione legendus præcipue Ill. Comes de Caylus Antiqu. T. III.

Digitized by Google

ſi ſola forent, valde eſſent dubia, ſed nunc certa quoque, ſi cum his comparentur; quæ omnia breviter recenſenda ſunt. *s*)

Apud Ill. Comitem de ÇAYLVS T. III. 8. 2. occurrit Sacerdos femina Volumen tenens, quod Sacrorum Miniſtrorum inſigne fuiſſe, infra ex indubiis probabimus rationibus

s) Diodorus Siculus Lib. I. p. 84. aliquo modo ſubinnuere videtur, Sacerdotes feminas in Aegypti ſacris locum habuiſſe; Chæremon vero, Clemens Alexandrinus, & alii in deſcriptionibus Sacerdotum Aegyptiorum nullam feminarum mentionem injiciunt. Apud plures quoque gentes vetuſtas, quæ ſimilia cum Aegyptiis Sacra Sacerdotiaque habuere, nullæ mulieres hæc munera geſſerunt; apud Græcos tamen, qui fere in omnibus Aegyptios imitati ſunt; ſœpius feminæ ad hæc adhibitæ.

Non autumo, in hac controverſia dirimenda aliquid facere Mulieres, Apidi & Mendeti impudicum cultum exhibentes, a laſcivis Sacerdotibus non ſine ratione introductum, non absque fraude, flagitiis, ſceleribusque ſub Religionis velamento perpetratum; quod vel ex ſola illa celebri Mundi Paullinæque adparet hiſtoria, cujus mentionem facit Joſephus Antiquit. Jud. L. XVIII. Cap. 7.

bus. Apud eundem T. V. 4. Sacerdos femina, ſacro fungens officio, Hori ſtatuam geſtare videtur. Idem quoque T. IV. 3. pretioſum edidit monumentum, in quo Sacerdos femina coram ara ſtat, cui Scarabæus, quem cultu proſequitur, impoſitus eſt. Comparari poteſt *Abraxea Gemma* apud Montfavconivm II. 155. ubi Sacerdotes feminei ſexus eidem Scarabæo divinos honores tribuunt. Addendum aliud monumentum ab eodem Ill. Comite T. V. 8. 9. vulgatum, in quo Sacerdotes feminæ plures obſervantur, in genua procumbentes, manus religioſe attollentes, Vaſa ſacra ferentes, & Scarabæum ſancte venerantes. *t*)

In

t) In hac Pictura, ut in Melitenſium Nummis, quæ Aegyptiis ſimulacris ornatæ ſunt, in Gordoni Mumiarum integumentis, in Encarpis Herculanenſium Monumentorum, & in Tabula Iſiaca Sacerdotes feminæ occurrunt cum majoribus aſcendentibus dependentibusque alis, Cheruborum imaginibus fere ſimiles, quas omnes ex toto corporis habitu in cultu occupatas eſſe patet. Cherubi autem ipſi, ut id in tranſitu dicam, ex variorum animalium partibus juncti, ſacris Sphyngibus, & Aegyptiorum ad ejusmodi formas allegoriasque propenſo in-

Digitized by Google

In anaglypto Aegyptio monumento, a P. LVCA, & poſtmodum a MONTFAVCONIO *Suplém.* II. 51. edito, conſpiciuntur Sacerdotes feminæ, Cruce anſata & longioribus baculis inſtructæ; his ſimiles occurrunt in monumento probe antiquo Aegyptio, a Cl. MARTIN evulgato, pag. 144. Libri, qui inſcribitur *Explication de divers Monumens ſinguliers, qui ont rapport à la Religion desplus anciens Peuples.*

Ipſa quoque Iſiaca Tabula nobis, ni fallor, plures Sacerdotes feminei ſexus repræſentat; objici quidem poteſt, hoc monumentum non valde antiquum eſſe, ſed Aegyptium tamen videtur, & ex hac Regione Romam advectum.

Hæc Monumenta magna cum veri ſimilitudine probare videntur, in Aegypto etiam feminas ſacerdotalia quædam peregiſſe officia; non majora quidem illa altioraque, ad quæ ſumma eruditio, reconditæque requi-

genio valde conveniunt; de qua re legi meretur Cl. Michaelis de Cherubis in Comm. Soc. Reg. Gœtting. T. I. p. 171.

quirebantur litteræ, ſed exiliora levioraque, quibus muliebre ſecus, vanis ſuperſtitionibus minimisque cerimoniis religioſe adhærens, videbatur aptiſſimum. Alia autem ſuperſunt Monumenta, quæ Sacerdotes Aegypti feminas repræſentare quidem videntur, ſed quæ, ut aliquo modo dubia, ceteris fuere poſtponenda; in iis ob vulgarem veſtitum, ob modeſtum adſpectum, ob omnem corporis habitum, potius Sacerdotes, quam Divas, occurrere exiſtimamus. Huc referimus ſignum a Montfauconio II. 108. 1. vulgatum, cum communi veſte, & capitis tegumento. *u*) Huc pertinent Sacerdotes Aegyptiorum feminei ſexus apud Comitem de Caylus T. II. 1. 1. T. III. 8. 1. & 3. quod ultimum ſignum nullo fere ornatu conſpicuum Sacerdotem referre videtur. *x*) Mi-

u) Simili capitis tegmine Aegyptii Sacerdotes ornantur apud Com. de Caylus., V. 20. quod non deſcribimus, quia facilius ex inſpectione monumenti de eo judicium ferri poteſt.

x) Forſitan Sacerdotes feminæ Aegyptiæ occurrunt apud Ill. Com. de Caylus T. VI. 7. 1. & 8. 2.

Minime quidem diffiteor, me in Aegyptiacis monumentis non ſemper ex abſentia ornamentorum ſtatim concludere, ſacerdotem repræſentari, & illam nonnunquam ex ſumma antiquitate, aliquando ex aliis deducere rationibus; ſed cum hoc ſignum ſit egregie elaboratum, hinc non valde vetuſtum, & tamen nullo decorum ornatu, conjicio, illud non ipſum Numen, ſed ejus Miniſtram ob oculos ponere.

Quod ſi aliquo modo controverſum eſt, an apud Aegyptios feminæ ſacra Deorum peregerint, id utique de iſtorum Religione Romam translata a nemine in dubium vocari poteſt; APVLEJVS enim in Iſiaca Pompa ſœpius feminarum mentionem facit, ut & PERSIVS, JVVENALIS, aliique Romanorum Poëtæ; comparanda quoque ROMANÆ ANTIQVITATIS ADMIRANDA, ceteraque gentis iſtius monumenta apud MONTFAVCONIVM II. 115. 116. ubi frequentiſſime Sacerdotes feminæ occurrunt Numina circumgeſtantes, & Deæ ſuæ Iſidis Inſignibus, Situla & Siſtris, ornatæ.

In

In Herculanenſibus quoque Monumentis feminæ ſacra faciunt, *y*) Caniſtraque portant; quo pertinet lapis antiquus, Venetiis erutus, quem Mvratorivs 180. 1. ita exhibet: ΑΡΧΕΛΑΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΜΑΡΑΘΟΝΙΟΣ ΤΟ Δ ΑΓΑΛΜΑ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΥΠΕΡ ΤΕ ΕΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΚΑΙ ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ ΚΑΝΗΦΟΡΟΥΣΗΣ ΔΩΡΟΘΕΑΣ ΤΗΣ ΕΑΥΤΟΥ ΘΥΓΑΤΡΟΣ ΙΣΙΔΙ - &c.

In iisdem Herculanenſibus Picturis, ut in omnibus recentiorum monumentis, Iſiacæ Sacerdotes crines geſtant, quibus in Aegyptiacis deſtitutæ videntur; quin etiam in Picturis modo laudatis, crines habent tum ſolutos & fluctuantes, tum coronis ſertisque inſtructos, qui mos erat feminarum, apud Græcos Romanosque omnia ſolennia ſacraque facientium.

Di-

y) Herculanenſes Picturæ, quas per totam hanc Diſſertationem cito, exſtant T. II. p. 315. & 321, omni attentione dignæ ſunt, & religioſos Aegyptiorum ritus Sacrificiaque repræſentant.

Diſputatur de eo, an in Aegypto omni tempore ſoli Sacerdotes fuerint circumciſi?

Cum de iis præcipue mihi ſermo faciendus ſit, quæ omnes Aegypti Sacerdotes ab aliis ejus Nationis hominibus diſtinguebant, atque, de conſuetudinibus ſacro huic ordini propriis; breviter quoque diſſerendum videtur de ſententia illorum, qui magno numero & mira fidentia nobis perſuadere conantur, Circumciſionem in Aegypto ſemper ſolis Sacerdotibus uſu receptam, & in hac re ab illa Judæorum, cui tamen ſimillima, diverſam fuiſſe. Deſunt quidem opinioni huic rationum pondera, ſed minime deſtituta eſt fautoribus, atque iſtis Viris magni nominis, inter quos præ ceteris citari meretur Cl. CALMETVS in ſingulari ſcripto de Circumciſione. z)

z) Clar. de Vonck in Specim. Critico p. 215. multis contendit, Circumciſionem fuiſſe tantum inter Sacerdotes Aegyptiorum receptam. Cl. Kraft in Libro, qui inſcribitur, *Die Sitten der Wilden zur Aufklærung des Urſprungs und Aufnahme*

Conſtat autem ex Antiquorum conſenſu, Circumciſionem, eamque omnium maſculorum, antiquis temporibus adhibitam fuiſſe ab Aegyptiis, Aethiopibus, Colchis, Phœnicibus, Judæis, Idumæis, Homeritis, Trogloditis, Saracenis, Turcis. *a*) Video quidem adverſariam partem ad Veterum teſtimonia, Circumciſionem ſolis Aegyptiorum Sacerdotibus tribuentia, provocare; ſed certus ſum, illud ex his locis minime evinci poſſe.

Sunt itaque qui huc trahere volunt Horapollinem L. I. 14. qui ait: *Cynocephalus circumciſus naſcitur, quam quidem Circum-*

cum-

der Menſchheit, exiſtimat, Circumciſionem a ſolis Aegypti Sacerdotibus fuiſſe adhibitam, ut rem acerbam, illisque, qui ſacris initiati, ob hanc ipſam rationem valde convenientem; a quo parum diſcedit Cl. Boulanger *Antiquité devoilá* p. 128, qui putat, Circumciſionem ab initio veram detruncationem fuiſſe, potiſſimum a Sacerdotibus ut religioſam corporis afflictationem peractam.

a) Loca Antiquorum pro ſententia noſtra magno adparatu congeſſere Marshamus in Canone Chronico; & Spencerus de Legibus Hebræorum.

Digitized by Google

cumciſionem Aegyptii Sacerdotes magni faciunt, Ἐπιτηδεύουσι. Hujus Scriptoris teſtimonium omnibus aliis Antiquis contrarium, ſi Patres Eccleſiæ excipiamus, de recentioribus temporibus ſermonem facientes, parum probaret, ſi id, quod iſti volunt, diſerte heic traderetur. Dici quoque poteſt HORAPOLLINEM indicare voluiſſe, Sacerdotes Aegyptiorum, accuratiores omnium rituum obſervatores, ſummo ſtudio curaque Circumciſionem exercere, qui ſenſus tribui poteſt Græco vocabulo; ſed ne hoc quidem concedendum, cum his verbis iſta ſubjecta videatur notio, Sacerdotes Aegyptiorum de Circumciſione vetuſta patriaque conſuetudine, pro iſtorum more, magna & magnifica ſenſiſſe, illamque maximi æſtimaviſſe.

Reſtat, ut loca Patrum Eccleſiæ proferam, qui aperte Circumciſionem Aegypti Sacerdotibus tribuunt. EPIPHANIVS *b)* de hac re ita loquitur: *Et vero quid eſt, quod Ebion adeo de Circumciſione ſua glorietur, cum*

b) Adv. Hær. L. I. 30. p. 160. Edit. P. Petavii.

& Idolorum cultores, & Sacerdotes Aegyptii Circumciſionem habeant; quod & Saraceni, & Samaritani, Judæi, Idumæi, & Homeritæ faciunt, quorum id plerique non aliqua lege, ſed conſuetudine quadam citra ullam rationem ſuſcipiunt. Et Cyrillus: *c*) *Apud Judæos optima res eſt Circumciſio, quam Aegyptiorum ſanctiſſimos quosque fanorum & delubrorum cuſtodes, τὲς ἱερωτέρȣς τῶν Τεμενιτῶν, ac inſuper Chaldæos, & Saracenos, non rejicere ait.* Origenes hæc habet: *Aegyptiorum Idolis Sacerdotes circumciduntur. d*) Idem alio loco *e*): *Apud Aegyptios, qui in Superſtitionibus veſtris & vetuſtiſſimi habentur & eruditiſſimi, a quibus prope omnes reliqui ritus ſacrorum & cerimonias mutuati ſunt, apud hos, inquam, nullus aut Geometriæ ſtudebat, aut Aſtronomiæ, quæ apud illos præcipua ducitur, illius certe Aſtronomiæ & Geneſeos, qua nihil divinius putant,*

c) Contra Julianum Lib. IX. p. 198. Comparandus & ipſe Juliani locus.

d) Homil. V. in Jeremiam p. 159. T. I. Edit. de La Rue.

e) Lib. II. in Epiſt. ad Romanos. T. IV. p. 459.

tant, ſecreta rimabatur, niſi Circumciſione ſuſcepta. Sacerdos apud eos, Haruſpex, aut quorumlibet ſacrorum miniſter, vel, ut illi adpellant, Propheta omnis circumciſus eſt. Litteras quoque Sacerdotales veterum Aegyptiorum, quas Hieroglyphicas adpellant, nemo diſcebat, niſi circumciſus. Omnis Hierophanta, omnis Vates, omnis cæli, ut putant, infernique Myſtes, & conſcius, apud eos non creditur, niſi fuerit circumciſus. — Verum ſi replicatis hiſtorias veſtras, invenietis, non ſolum Aegyptiorum Sacerdotes & Hierophantas uſos eſſe circumciſione, ſed & Arabes, Aethiopes, & Phœnices.

Ex his locis, ſi iis fidem facimus, concludendum eo tempore, quo citati Eccleſiæ Patres ſcripſerunt, forte Circumciſionem aut non amplius ab omnibus Aegyptiis, ſed tantum a Sacerdotibus, aut ſaltem non ita diligenter a ceteris fuiſſe adhibitam.

Video quoque, in hac controverſia a nonnullis CLEMENTEM ALEXANDRINVM laudari, qui Stromat. I. 302. hæc habet: *Pythagoras cum Aegyptiorum Prophetis congreſ-*

ſus eſſe dicitur, propter quos etiam fuit circumciſus, ut adyta ingrediens Aegyptiorum myſticam diſceret Philoſophiam. Hæc Pythagoræ Circumciſio non ob aliam neceſſaria fuit cauſam, quam quia Aegypti Sacerdotibus non licitum erat cum peregrinis, incircumciſis, commercia ulla inſtituere, quod docet, PORPHYRIVS de Abſtin. pag. 363. dicens, Sacerdotes Aegyptios cum nemine a Religione ſua alieno commercia habere *f*)

Addendus heic tandem ſubdiditius ille ARTAPANVS, qui in Libro de Judæis apud EVSEBIVM Præp. Evang. IX. 433. ita loquitur; *Aethiopes autem ipſos, tametſi hoſtes, tam propenſo tamen animo in Moſen fuiſſe, ut ipſius quoque Circumciſionis ritum ab eo acciperent, id quod a Sacerdotibus etiam omnibus præ-*

f) Porphyrius in Vita Pythag. p. 10. ait, Aegyptios Sacerdotes, ut Philoſophum hunc abſterrerent ab ardenti cupiditate, qua voluit Myſteria illorum addiſcere, illi in anteceſſum dura, & a Græcorum Religione prorſus aliena, injunxiſſe; eum autem iſta promtiſſime fuiſſe exſequutum; per quæ potiſſimum Circumciſionem intelligendam eſſe credo.

præſtitum fuerit. Quod iſte de Aethiopibus, id plures alii inconſiderate de Aegyptiis tradunt; ſed nunquam ad credendum inducar, ſcientiarum gloria ſplendidam antiquam Aegypti gentem, de qua certiſſime conſtat, illam omnes peregrinos ritus rejeciſſe, a ſpretis Judæis non dico peculiarem, ſed acerbum Circumciſionis morem imitatos fuiſſe. *g*)

Origo autem Circumciſionis Aegyptiorum res eſt valde controverſa, nonnulli illam, ut vidimus, Religionis, alii fecunditatis, munditiæ, ſanitatisque cauſa in

g) A vero non alienum videtur obſcuro loco Joſuæ V. 9. ubi, poſtquam omnes Iſraëlitæ circumciſi fuerunt, hæc habentur: *Hodie abſtuli a vobis opprobrium Aegypti*, iſtam ſubjectam eſſe notionem, Aegyptios, gentem, cujus mores Judæi valde adamabant, jam non amplius eos aſpernari poſſe, quod Circumciſionem, quam in deſertis nunquam adhibuerunt, non peregerint, ritum, cujus neglectus omnes peregrinos Aegyptiis, ut poſtea & ipſis Judæis, contemtiſſimos reddidit. Comparandæ locutiones ſimiles, Genes. XXX. 23. Eſaiæ IV. 1. Pſalm. 119. 22,

calidis regionibus introductam fuiſſe volunt. *h*)

De Variis Ordinibus Claſſibusque Sacerdotum Aegyptiorum, & de Inſignibus illis propriis.

Sacerdotes Superioris Ordinis.

Vidimus generalia quædam de Sacerdotibus Aegyptiorum, explanavimus Inſignia, quæ plerisque ſacri ordinis miniſtris conveniebant; nunc ad ſpecialia pergimus, in quibus agemus de variis Sacerdotum Aegyptiorum Claſſibus; de muneribus, quibus præ-

h) Comparanda Quæſtio LII. a Cl. Michaelis iis propoſita Eruditis, qui in Arabiam iter inſtituerunt. Cl. Wedelius de Phimoſi & Paraphimoſi; Ingenioſiſſimus ac ſimul ſolidiſſimus Klotzius in Actis Litter. Vol. II. 192. Cl. Vogel in Programmate ad Schloſſii Diſſertationem Inauguralem, quo dubia ſua de Circumciſionis uſu Medico præloquitur, Gœttingæ 1763. qui contendit, Philonem, aliosque plures Theologos errare, dum exiſtimant, Circumciſionis uſum fuiſſe phyſicum, tum ad minuendum morbum Carbunculi, tum ad augendam fecunditatem.

Digitized by Google

præfuerunt; de ſcientiis, in quas incubuerunt, ac de notis, quarum ope ab aliis Sacerdotibus diſtingui, a populoque agnoſci poterant.

Ut vero ſingulos Sacerdotum Aegyptiorum Ordines eo, quo convenit, modo recenſeamus, ſequendum nobis ſumſimus locum PORPHYRII de Abſtin. Lib. IV. Cap. 8. ita ſcribentis: *Atque hic ſane philoſophandi modus in Aegypto inter Prophetas*, Ἱεροστολιστας, *Sacros Scribas, atque etiam Horologos vere extitit. Turba autem reliqua Sacerdotum, Paſtophororum, Neocororum, & Diis ſubminiſtrantium purificantur quidem ſimiliter, ſed non tam accurate, nec cum tanta continentia.*

Heic duo præcipui Sacerdotum Aegyptiorum Ordines, & varii illorum gradus optime deſcribuntur. Conſentit CLEMENS ALEXANDRINUS, qui Stromat. VI. 633. ſacram Pompam Aegyptiorum memorat, in qua Sacerdotes eo ordine procedebant, ut qui in majori dignitate conſtituti fuerunt, eſſent ultimi. Claudebat ergo, ſecundum iſtum Scriptorem, ſacram Pompam Propheta,

hunc Στολιστὴς, iſtum Sacer Scriba præcedebat, hunc Horoſcopus, illumque Sacer Cantor.

De Prophetis, ſummis Aegyptiorum Sacerdotibus, horumque Officiis & Inſignibus.

Quodlibet Sacerdotum Aegyptiorum Collegium, qualia in plerisque iſtius regionis oppidis fuiſſe conſtat, habebat Præſidem in majori auctoritate dignitateque conſtitutum, Summi Sacerdotis nomine conſpicuum. Sic Herodotus Lib. II. cap. 37. *Sacerdos fit non unus cujusque Deorum, ſed multi, quorum unus eſt maximus,* Ἀρχιερεὺς; *& ſi is defunctus eſt, filius ejus ſubrogatur.*

Præſides iſti Sacerdotalium Collegiorum, in variorum Aegypti Numinum honorem inſtitutorum, præter Summi Sacerdotis titulum, vulgo etiam Græcis Prophetæ vocabantur; quod nomen proprie primarios tantum Sacerdotes ſignificat ita adpellatos, quia futurarum arcanarumque rerum, ac Myſteriorum periti, Oraculorumque Interpre-

pretes exiſtimabantur; ſed illud latius aliquando de omnibus fere Aegypti Sacerdotibus adhibitum fuit.

Senſu proprio hoc vocabulo uſus eſt EPIPHANIVS Lib. III. adverſus Hæres. dicendo, Prophetas in Aegypto eſſe Τῶν Ἀδύτων τε καὶ ἱερῶν Ἀρχηγοὺς. Comparandæ etiam *Recognitiones*, quæ ſub falſo CLEMENTIS ROMANI nomine circumferuntur, in quibus N. 1. hæc legimus: *Aegyptum petam, atque ibi Hierophantis*, *i*) *vel Prophetis*, *qui Adytis præſunt*, *amicus efficiar.*

Prophetæ porro ut primi ordinis Sacerdotes conſiderantur a SYNESIO, qui de Providentia, pag. 94. ait, in Electione Regum Sacerdotum ſuffragia ita fuiſſe æſtimata, ut Prophetarum, per quos ſuperiorem Sacerdotum Claſſem intelligit, ſuffragia centum manus æquarent, ut *Comaſtarum* viginti, ut *Neo-*

i) Primarius Sacerdos, Antiſtesque Cerimoniarum, qui in auguſtis Eleuſiniis ſacris ceteros initiabat docebatque, *Hierophanta*, & Μυσταγωγὸς vocabatur, auctore Meurſio de Eleuſiniis, Cap. 13.

Neocororum ſuffragia decem valerent manus. Vocabulum Prophetæ de ſummis quoque Sacerdotibus intelligendum eſt apud Porphyrium, qui pag. 371. in eo, quem modo citavimus, loco inquit: *Hic ſane philoſophandi modus inter Prophetas*, Ἱεροστολιστας, *Sacros Scribas, atque etiam Horologos, vere locum habuit; reliqua autem Sacerdotum turba, Paſtophororum, Neocororum, & Diis ſubminiſtrantium, luſtrabatur eodem plane modo, ſed non cum tanta diligentia.* Idem Vocabulum ſenſu proprio adhibitum videtur in ſequentibus Inſcriptionibus, apud Grvterum 86. 1. *k*)

AN-

k) De hoc Monumento multis egerunt D'Arnaud de Diis Παρέδροις, Cap. 15. & Cl. Nicaſius in Diſſert. de Nummo Hadriani Pantheo, qui Antinoi conſecrationem, Prophetæque vocabulum illuſtrat, tradens, illud heic adhiberi, vel quia Antinous non modo Deus, ſed Oraculorum etiam editor cenſebatur, vel quia hoc nomen in Aegypto ſœpe generaliter omnibus ſacris Miniſtris tributum. Addendus Euſebius Hiſt. Eccl. IV. 8. qui ait: *Urbem condiderunt Antinoo cognominem & Prophetas.* Ubi videndus Eruditiſſ. Valeſius, qui de Antinoi Prophetis optime ſolidiſſimeque diſputavit.

Digitized by Google

ΑΝΤΙΝΟΩΙ
ΣΥΝΘΡΟΝΩΙ ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟΣ ΑΠΟΛΛΟΝΙΟΣ
ΠΡΟΦΗΤΗΣ.

Apud eundem 314. 2.

Η ΙΕΡΑ ΤΑΞΙΣ ΤΩΝ ΠΑΙΑΝΙΣΤΩΝ
ΤΩΝ ΕΝ ΡΩΜΗ ΔΙΟΣ ΗΛΙΟΥ
ΜΕΓΑΛΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ ΚΑΙ ΘΕΩΝ
ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ ΕΜΒΗΝ
ΠΡΟΦΗΤΗΝ ΠΑΤΕΡΑ ΤΗΣ ΠΡΟ
ΤΕΓΜΕΝΗΣ ΤΑΞΕΩΣ. &c.

Prophetarum vero vocabulum generalius de Aegypti Sacerdotibus accepiſſe videntur, JAMBLYCHVS de Myſter. Aegypt. pag. 2. ARISTIDES Oration. T. III. 553. DIOGENES LAERTIVS in Prœmio, PHILOSTRATVS in Vita Apollonii Thyanei, FIRMICVS, RVFINVS, & CLEMENS ALEXANDRINVS Stromat. 1. p. 305. dicendo: *Philoſophia ergo res quædam valde utilis olim quidem floruit apud Barbaros per gentes reſplendens, poſtea autem venit etiam ad Græ-*

Græcos. Ei autem præfuerunt Aegyptiorum Prophetæ, Aſſyriorum Chaldæi, Gallorum Druidæ, Semanæi Bactrorum, & Celtarum ii, qui philoſophati ſunt, Perſarum Magis, & Indorum Gymnoſophiſtæ. Heic generali vocabulo Aegyptii Sacerdotes Prophetæ vocantur; quo etiam pertinent ita dicta *Notha* Dioscoridis, & Apvleji ſcripta de Herbis, in quibus, quando nomina in Sacerdotum Aegyptiorum lingua plantis tributa recenſentur, plerumque dicitur, illa ex Prophetarum deſumta eſſe ſermone.

Ex præcipuis officiis ſcientiisque Sacerdotum Aegyptiorum, maximeque Prophetarum, fuit præſenſio prædictioque rerum futurarum, de qua Diodorvs Sicvlvs pag. 84. ita loquitur: *Sacerdotes ex Aſtrologia, ut & ex ſacrorum inſpectione, futura prædicunt & divinant.*

De Aſtrologicis iſtis Sacerdotum Aegyptiorum ſtudiis alio & commodiore agemus loco; de divinatione ex ſacrorum inſpectione nunc quoque non diſputabimus, quia

quia antiquis Aegyptiis cognita quidem, ſed rarius adhibita fuiſſe videtur. *l*) Iidem Sacerdotes etiam gloriabantur, ſe ſomnia explicare poſſe, ac Sacros poſſidere Commentarios, in quibus futuri ſcripti eſſent exitus, de quibus diſſeremus in ſcriptione de Sacris Scribis, quibus æque ac Horoſcopis, & omnibus aliis Sacerdotibus Aegyptiorum ſuperioris ordinis futurorum vaticinatio tribuebatur: De iſtis porro legimus, quod ex ſacris, cum quibus vivebant, Diis & Animalibus eventus futuros augurari, prædicereque potuerint; perſuaſi enim erant Aegyptii omnes Apidis, divinitus animatæ be-

l) Aegyptii in camporum patentium æquoribus habitantes præcipue divinationem ex ſideribus habuere; Etruſci, quod crebrius hoſtias immolabant, extorum cognitioni ſe maxime dediderunt. Arabes & Phryges, & Cilices, quod paſtu pecudum uterentur, campos & montes peragrantes, Cantus avium & volatus notavere. Gentem enim nullam videmus neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem atque barbaram, quæ non ſignificari futura, & a quibusdam intelligi prædicique poſſe cenſuerit. Deſumta ſunt hæc ex Libris Ciceronis de Divinatione.

beſtiæ, geſtus, eſſe totidem omnia, omnes ſacrorum Leonum, omnes conſecratarum Ibidum actus, omnes ipſorum ſanctorum Crocodilorum motus caliginoſa nocte tecta futura iis prænuntiare, qui harum rerum periti erant. Ut taceam, Oracula a Prophetis, Aegypti Sacerdotibus, ad alias gentes tranſiiſſe, cujus rei teſtem habeo Herodotum, qui Lib. II. Cap. 58. pag. 110. ita ſcribit: *Suntque ſimilia inter ſe Oracula, & illud apud Thebas Aegyptium, & hoc apud Dodonem, eſtque divinandi per Sacerdotes ratio ex Aegypto oriunda.*

Heic jam majore adparatu perpendenda mihi videntur Veteris Teſtamenti loca, de Aegypti Prophetis agentia; Geneseos itaque XLI. 8. hæc habentur: *Pharao matutino tempore animo anxius miſit, qui vocarent omnes Obſcurorum Interpretes*, (Hebr. CHARTVMME, Græc. Ἐξηγητὰς, Copt. SPHRANSCH), *& omnes Sapientes Aegypti*, (CHACAME, Σοφὀς, SABEV), *& iis ſomnia ſua enarravit. m)*

Heic

m) Tacitus Hiſtor. IV. Cap. 83. *Ptolemæus*

Heic præcipue notandum videtur, Cl. LA CROZIVM, Thes. Epiſtol. T. III. 169. putare, per Ἐξηγητὰς intelligendos eſſe Prophetas, ſummos Aegyptiorum Sacerdotes, & hos non modo HANI, quod nomen in Sacris Coptorum Litteris illis frequenter tribuitur, ſed etiam SPHRANSCH adpellatos fuiſſe, & hinc Sphinges deducendos; qua in re quidem illi adſentiri non poſſumus; magis vero placet altera JABLONSKII conjectatio, *n*)

H de

omine & miraculo excitus Sacerdotibus Aegyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos viſus aperuit. Comparanda eruditiſſima Millii Diſſertatio de Magis Orientalium.

Explicandorum Somniorum vanam ſcientiam multa habere originis Aegyptiæ, ex pluribus patet rationibus, inter quas non omittenda veſtigia Superſtitionis Aegyptiæ, Scripturæque illorum Hieroglyphicæ, in Artemidori *Onirocriticis* ubique conſpicienda; qui de falſis iſtis imaginibus, viliſſimoque hoc argumento, circa quod per plures annos indefeſſo labore verſatus eſt, nobis plurimas ridiculas, undique conquiſitas, ac ſapienti indignas obſervationes reliquit.

n) Idem Jablonskius, cum vidiſſet Sacerdotes Aegyptiorum in Coptorum ſcriptis, OVEB, quod vocabulum Sanctum notat, adpellari,

de Sapientibus Aegypti SABEV dictis, magnaque ex parte originem præbentibus illis, quæ de Zabiorum Theologia diſputata fuere, quæ Vir Clariſſimus fere omnia de Sacerdotibus Aegypti intelligenda eſſe judicat. *o*)

Vo-

credidit inde OBOT Vet. Teſtamenti explicandos eſſe, quo nomine Νεκρομάντεις indicantur; ſed hoc vocabulum, atque illud vaticinandi genus, non Aegyptiæ videntur originis. Adeunda Cl. Millii Diſſertatio de OB & OBOT.

o) Per Zabios, quod nomen Græcis Romaniſque vetuſtioribus incognitum, & a Muhamede aliiſque Arabibus primo adhibitum fuit, Sectam potius, quam gentem intelligo, illamque longe ac late ſparſam, ex Aegyptiis, Chaldæis, Syris, omnibusque illis populis junctam, quorum præcipuum placitum fuit ſiderum cultus; cum vero is valde antiquus ſit, adparet, originem Zabiorum ad remotiora imperfecta illa rudiaque generis noſtri ſæcula eſſe referendam; quamvis diſſimulari nequeat, eosdem poſtea a Gnoſticis plures recentiores doctrinas accepiſſe, avitæque ſuæ Religioni immiſcuiſſe. Similitudo autem rituum Zabiorum cum Judæis, de qua Maimonides in *More Nebochim* ſuſe docteque loquitur, inde explicari facile poteſt, quod Aegyptiorum Sacerdotum conſuetudines, etſi in

Vocabulum Hebræum CHARTVMME in Sacro Codice omnibus Magis & Sacerdotibus peregrinis tribuitur, Chaldæis etiam, quod patet ex DANIELIS I. 20.

Comparandus porro locus EXODI VII. 11. ubi hæc leguntur: *Vocavit autem Pharao*

quibusdam diſcrepantes, in aliis tamen cum illis Judæorum mire conſenſerint; minime enim generatim verum eſt, quod Tacitus de Moſe Aegyptiis ſcientiis imbuto adfert, dicendo, Hiſt. V. *Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit.* Sed conſtat inter omnes, quam inſcii fuerint exteri in enarrandis Judæorum ſacris ritibus, quorum aditus illis perdifficilis fuit, & de quibus penitius cognoſcendis, cum gentem maximo perſequerentur odio, (Sueton. V. Aug. 93.) parum fuere ſolliciti; ſic ab altera quoque parte videmus multos Græcorum Romanorumque Scriptores Judæorum ritus cum Aegyptiis, ut eosdem vel ſimillimos perpetuo junxiſſe. De Zabiis autem, ut ad eos redeam, quorum Scripta ex Aegyptio ſermone in Arabum linguam converſa, ſi quæ exſtant, diligens merentur examen, præ ceteris legi queunt Viri Eruditi Majus & Peringerus in ſingularibus libris de Zabiis, qui inſerti Cl. Schlegeri Diſſertationibus; porro Pocockius in notis ad Specimen Hiſtoriæ Arabum, Hottingerus in Hiſt. Orient; & quem omnibus aliis præferendum ducimus Cl. Spencerus in Opere, quod inſcribitur de Legibus Hebræorum Ritualibus.

Digitized by Google

rao Sapientes, (CHACAMIM, Σοφιστὰς) *& Divinos*, (MECASCHEPHIM, Φαρμακὺς,) *& fecerunt etiam ſic ipſi Aegypti Sacerdotes Magi*, (CHARTVMME, Ἐπαοιδοὶ,) *præſtigiis ſuis; projecerunt namque ſinguli virgam ſuam, & verſæ ſunt in ſerpentes, & deglutivit virga Aaronis virgas eorum.* Et Exodi VII. 22. de Aquis in ſanguinem mutatis dicitur, *fecerunt quoque ſic Sacerdotes Magi Aegyptii arcanis ſuis artibus. p*)

Ex his locis adparet, quam antiquæ in Aegypto fuerint Prophetarum Artes Magicæ; arrogantes enim fraudulentique iſti Sacerdotes temporibus ignorantiæ, præcipue rerum

p) Exodi VII. 11. legimus Aegypti Sacerdotes Miracula Moſis imitatos fuiſſe BELAHATEHEM; Verſu vero 22. eſt BELATEHEM. Nonnulli hæc vocabula peregrina putant, idque præcipue ob ſcriptionis diſcrepantiam; utrumque tamen nobis videtur Hebrææ originis; prius a LAHAT derivandum, cujus pervulgata notio de flamma & fulgure forte a celeri motu deducenda, quod præſtigiis etiam ſatis convenit. Poſterius LATEHEM a LVT videtur deſcendere, quod involvendi obtegendique ſenſum habet, ac arcanis Aegypti artibus ita convenit, ut hoc ἔτυμον priori multo ſit certius.

rerum phyſicarum, perſuadebant credulo, ac prodigioſa omnia & quidem maxime in Religionibus adamanti vulgo, ſe ob majorem ſanctitatem ſcientiamque, uſu variarum ſacrarum plantarum, nominumque, peragendo diverſas arcanas cerimonias, ea, quæ naturæ vires exſuperant, efficere præſtareque poſſe; de qua re legendæ ELMENHORSTII ac DESIDERII HERALDI notæ ad ARNOBII Lib. I. ut & MAIMONIDES *Mor. Nebochim*, P. III. Cap. 37. qui ait: *Patebit, quod Magia fuerit opus Chaldæorum, frequentior tamen inter Aegyptios; opera iſta talia ſunt, quæ neque ratio capere poſſit, neque intellectus credere.*

Aegyptius fuit fallax ille Magus, cujus mentionem injicit JOSEPHVS Antiqu. Jud. Lib. XX. p. 972. Havercampii, & Bell. Jud. Lib. II. qui Prophetam ſeſe prædicans triginta ferme millia miſerorum hominum Hieroſolymis congregavit, vana ſeductione decepit, & in Oliveti montem duxit; funeſtus Romanis, niſi Claudius Felix huic ſeditioni finem feciſſet.

Aegyptii quoque fuere illi, qui fraudibus ſuis effecerunt, ut Veſpaſianus, & innumeri, qui cum eo erant, putarent, illum Alexandriæ pro concione ad auguſtum Serapidis Templum ipſo iſto Deo auctore luminibus orbatum oris excremento; manu, vel ſecundum alios crure ægrum, pedis contactu, ſanaviſſe; de quibus falſis, a plurimis tamen agnitis Miraculis, legendus Svetonivs in Vita Veſpaſiani Cap. VII. & præcipue Tacitvs Hiſtor. IV. 81. q) Iidem Alex-

q) Miramur gravem, verum, minimeque ſuperſtitioſum Tacitum de ſapiente Veſpaſiano ita ſcribentem: *Per eos menſes, quibus Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos æſtivis flatibus dies, & certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis cæleſtis favor, & quædam in Veſpaſianum inclinatio Numinum, oſtendebatur. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit, precabaturque Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manu æger eodem Deo auctore, ut pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus primo irridere, aſpernari, atque illis inſtantibus modo famam vanitatis metuere, modo obſecratione ipſorum & vocibus adulantium in ſpem induci, poſtremo æſtimari a medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humana ſuperabi*

Alexandrini Sacerdotes fecerunt, ut Imperator exiſtimaret, ſe in Serapidis Templo longe abſentis Baſilidis ſpeciem vidiſſe.

les forent. Medici varie diſſerere; huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellerentur obſtantia; illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Id fortaſſe cordi Deis, & divino miniſterio Principem electum; denique patrati remedii gloriam penes Cæſarem, irriti ludibrium penes miſeros fore. Igitur Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipſe vultu, erecta quæ adſtabat multitudine, juſſa exſequitur. Statim converſa ad uſum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, poſtquam nullum mendacio pretium. *Altior inde Veſpaſiano cupido adeundi ſacram ædem, ut ſuper rebus imperii conſuleret. Arceri Templo cunctos jubet; atque ingreſſus, intentusque Numini, reſpexit pone tergum e primoribus Aegyptiorum nomine Baſiliden, quem procul Alexandria plurium dierum itinere, & ægro corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur Sacerdotes, num illo die Baſilides Templum iniſſet? percunctatur obvios, num in urbe viſus ſit? denique miſſis equitibus explorat, illo temporis momento octoginta millibus paſſuum abfuiſſe. Tunc divinam ſpeciem, & vim reſponſi ex nomine Baſilidis interpretatus eſt.*

Magus & Aegyptius ſuit Arnuphis, *r*) de quo XIPHILINVS in Epitome Dionis Cassii, pag. 260. Rob. Steph. occaſione inſignis illius pluviæ, quæ Marci Aurelii exercitui in bello cum Marcomannis & Quadis utiliſſima fuit, ita loquitur: *Fama eſt, Arnuphin quendam Magum Aegyptium, qui Marco aderat, Mercurium illum, qui eſt in Aëre, alioſque Dæmonas, artibus quibuſdam magicis invocaſſe, ac per eos pluviam extorſiſſe.*

Aegyptii & Sacerdotes nominantur Zachlas primarius Propheta, & Paneras de ſacris Scribis unus, de quorum artibus magicis, miraculisque, multas aniles nugas legimus in Lvciani & Apvleji fabulis.

Memphi quoque ab Aegyptiis Sacerdotibus Gazenſis juvenis portentoſas figuras didicit, quas cum laminæ inſculptas ad limen puellæ, quam adamabat, defodiſſet, illa illico in furorem converſa, ex qua dein Hila-

r) Jablonski Pantheon Aegypt. de Anubide T. III. p. 16.

Digitized by Google

Hilarion, ſi HIERONYMO s) fidem facimus, Dæmonem, poſt longum cum eo inſtitutum colloquium, tandem ejecit.

Aegyptia erant pleraque illa ſacra Vocabula, quæ a Magis in ritibus arcanis adhibebantur, & quibus majorem, quam ceteris omnibus vim adſcripſere, auctore JAMBLYCHO t) qui ait: *Adde quod barbara vocabula plurimam habeant emphaſin, & brevitate non minorem; ſed & ambiguitate, & varietate, dictionumque multitudine minus ſcatent; & per hæc omnia Diis ſunt accommodatiora. Tolle interim has tuas ſuſpiciones, quæ a veritate aberrant, quaſi aut Aegyptius fuerit, aut Aegyptiaca lingua aliquando uſus, qui invocatur; illud vero potius arbitrare, Deos ideo Aegyptiorum ritibus maxime velle ſe invocari, quoniam Aegyptii mortalium primi præſentiam Deorum ſortiti ſunt.*

s) Vita S. Hilar. Op. T. IV. Aegyptius quoque fuit ille Sacerdos, qui Romæ in Iſidis Templo Plotini genium evocavit, auctore Porphyrio in Vita Doctoris ſui.

t) De Myſteriis Sect. VII. Cap. 5.

Ridiculo heic errori de efficacitate vocabulorum quorundam barbarorum, in Magicis Artibus adhibitorum, fere totam antiquitatem adhæſiſſe video; ego interim hac de re, ex Patribus Eccleſiæ, qui maximam partem Magiæ vim firmiter crediderunt, unum citabo ORIGINEM, qui contra Celſum Lib. I. p. 342. ita diſputat: *Hic igitur ſi probare poſſumus, natura vim ineſſe quibusdam nominibus, quibus utuntur aut Aegyptiorum Sapientes, aut apud Perſas eruditiores Magi, aut inter Philoſophos Indos Brachmanes vel Samanæi, & apud alias gentes; ſi planum facere poſſumus, quam vocant Magiam, eam non eſſe, ut Epicuri & Ariſtotelis aſſeclis viſum eſt, rem omnino futilem, ſed certam potius & conſtantem, ut ejus periti docent, tametſi reconditas habeat rationes perpaucis cognitas; tunc dicemus nomina Sabaoth, Adonai, aliave apud Hebræos magna veneratione pervulgata, vulgarium non eſſe creatarumque rerum, ſed ad reconditam quandam Theologiam pertinere, quæ tendit mentemque erigit ad rerum omnium conditorem, quam ob rem hæc nomina, ſi ea, quam inter ſe habent, naturali ſerie pronuntientur, inſignem*

vim

vim habent, unde etiam ſit, ut alia Aegyptiace pronuntiata in quosdam Dæmones, quorum poteſtas ad hæc aut illa ſola pertingit; alia Perſice in alios Dæmones, & ſic per ſingulas gentes ad quosdam uſus adhibeantur.

Videmus tandem & hodie in Aegypto inſignes fraudum architectos plurimos, qui præſtigiis, antiquaque gentis ſuæ fallacia plebem decipiunt. Videmus quoque *Zingeros*, vel a Patria, quod valde dubium, vel ab ejusmodi artibus, quod magis placet, Aegyptios vocari. *u*)

Longius quidem jam me a propoſito diſceſſiſſe ſentio, ſed congruum videbatur heic aperire primordia famoſæ artis magicæ, qua omnis antiquitas infecta fuit, & cujus abſurda veſtigia, funeſtasque conſecutiones ubique etiamnum deliteſcunt. Igitur revertar ad primarios Aegypti Sacerdotes, proprie Prophetarum nomine inclytos, ut illorum Inſignia ope veterum ſcriptorum monumentorumque explanem.

Cle-

u) De his exſtat erudita Jac. Thomaſii Diſſertatio.

Clemens Alexandrinus *Stromat.* VI. 633. hæc habet: *In ſacra pompa x) poſt omnes procedit Propheta Hydriam in ſinu gerens, quem ſequuntur, qui Panes Emiſſarios y) portant. Hic ut præfectus ſacrorum libros decem ediſcit, qui Sacerdotales vocantur, nempe de Legibus, de Diis, de univerſa Sacerdotum diſciplina.* Huc pertinet etiam Apulejus Metam. XI. p. 202. dicendo: *Gerebat alius felici ſuo gremio z) ſummi ſui Numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipſius conſimilem, ſed ſolerti reſpectu etiam ipſa novitate reverendam, altioris utcunque*

x) De Sacris his Aegyptiorum Sacerdotum Pompis, quæ ſœpius in monumentis conſpiciuntur, mentionem quoque facit Herodotus præcipue pag. III. dicendo: *Ipſi certe Aegyptii principes fuerunt ſacrorum conventuum, pomparum & abductionum, ab eis Græci talia didicerunt.* Vocabula Herodoto adhibita ſunt Πανηγύρεις, Πομπαὶ, Προσαγωγαὶ. Harum Pomparum frequens eſt mentio apud Plutarchum, accurata enarratio apud Apulejum Metam. XI. & nota imitatio apud omnes fere gentes.

y) Sacra, ut videtur, Oblata.

z) Clemens Alex. dixerat Ἐγκεκολπισμένον.

que & magno ſilentio tegendæ Religionis argumentum ineffabile; ſed & ad iſtum plane modum fulgente auro figurata Urnula faberrime cavata, fundo quam rotundo, miris extrinſecus ſimulacris Aegyptiorum effigiata, cujus orificium non altiuſcule levatum in canalem porrectum longe rivulo prominebat; ex alia vero parte multum recedens ſpatioſa dilatione adhærebat anſa, quam contorto nodulo ſuperſedebat aſpis ſquameæ cervicis ſtriato tumore ſublimis. a)

Idem

a) Begerus Thes. Brandeb. 302. improbabiliter, & Joh. Oliva Rhodiginus in Marmore Iſiaco, cum aliqua veri ſimilitudine, perſuadere nobis voluerunt, ſe vulgaviſſe illius generis Urnas, quas Apulejus ut inſignia Prophetarum deſcripſit.

Comparandus etiam Diodorus Siculus p. 109. qui ait, Sacerdotes Aegyptios Nili Aquam in magno dolio ſervare; & Plutarchus de Iſide p. 365. qui dicit, in ſacra Aegypti Pompa ſemper præcedere Vas Aquarium in honorem Dei, (Oſiridis.) Quæ omnia, ut innumera alia nunc non tangenda, teſtantur de ſumma veneratione, qua Aegyptii utiliſſimas Nili aquas exceperunt; cui Numini ſpeciale etiam Sacerdotum Collegium dicatum fuit, cujus mentionem facit Heliodorus p. 110. Bourdelotii. Adeundus etiam Herodotus L. II. c. 90.

Idem Inſigne Prophetarum Aegyptiorum deſcribit etiam Vitrvvivs Lib. VIII. cujus hæc ſunt verba: *Aqua vero non ſolum potus, ſed infinitas uſui præbendo neceſſitates gratas, quod eſt gratuita, præſtat utilitates. Ex eo etiam, qui Sacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum, oſtendunt omnes res e liquoris poteſtate conſiſtere, itaque cum hydriam tegunt, quæ ad Templum ædemque caſta Religione refertur, tunc in terra procumbentes manibus ad cælum ſublatis inventoribus gratias agunt divinæ benignitatis. b)*

Egregie cum laudatis Scriptoribus & præcipue cum Clemente Alexandrino conſentiunt Monumenta Aegyptiaca a Montfavconio aliisque vulgata, ſacros Ae-

b) Cl. Boulanger exiſtimat hujus moris rationem in origine diverſam fuiſſe ab ea, quam Vitruvius tradit; in eo enim, ut in omnibus religioſis antiquorum ritibus, memoriam agnoſcit diluvii, cladum calamitatumque, quibus ea tempeſtate humanum genus a Numinibus adflictum fuit. *Antiquité devoilée* Cap. IV. *Veſtiges d'Uſages Hydrophoriques dans pluſieurs Fêtes anciennes & modernes.* Ubi Aquæ cultus multis explanatur commentariis.

Digitized by Google

Aegyptiorum proceſſus repræſentantia. Apud iſtum itaque II. 116. 1. ex *Admirandis Romanæ Antiquitatis* videmus Prophetam Aegyptiorum, ut a veteribus deſcribitur, totum veſte lata involutum, in gremio Urnam tenentem. *Il ſe couvre*, inquit MONTFAVCONIVS, *& s'enveloppe la main d'un grand voile, qui l'environne de tout côté.* *c*) Ibidem II. 116. 2. ex monumento KIRCHERI producitur alius Sacerdos veſte penitus circumvolutus, ſi ſola extrema manuum excipiatur pars. Sic etiam in Herculanenſibus Picturis II. 321. videmus Prophetam talari veſte obvolutum, pie ambabus manibus religioſo concilio proponentem, quam tegit, hydriam.

Ex his omnibus conficitur, eos Aegyptiorum Sacerdotum, qui in monumentis occur-

c) In Pompa Sacerdotum Aegyptiorum, quam Præneſtinum Pavimentum exhibet, ſacri miniſtri manus & corpora obvoluta habent veſtibus, quo nuperrimus hujus monumenti Editor refert hæc non parum illuſtrantem Porphyrium, qui de Abſtin. p, 364. ita ſcribit: *Sacerdotes Aegyptii manus ſemper continent intra habitum, quarum compoſitio unicuique ſignum eſt ordinis, quem in ſacris ſortitus eſt.*

Digitized by Google

occurrunt veſtibus penitus circa caput & manus involuti, præcipue ſi hydriam gerunt, ad ſacros miniſtros primi ordinis referendos eſſe; quibus cura antiquorum ſacrorum Nili vaſorum, rei auguſtiſſimæ pretioſiſſimæque commiſſa fuit. *d*)

De STOLISTA, ſeu HIEROSTOLISTA,

Sacerdote in prima poſt Prophetas dignitate conſtituto; deque hujus Muneribus & Inſignibus.

In ſacra Aegyptiorum Sacerdotum Pompa apud Clementem Alexandrinum *Stromat.* VI. 633. comparet etiam Στολιστὴς, de quo ille ita ſcribit: *Prædictos ſequitur* Στολιστὴς, *Cubitum Juſtitiæ tenens & Vas ad libandum. Hic omnia noſcit,* Παιδευτικὰ, *quæ ad inſtitutionem diſciplinamque, ac* Μοσχοσφραγιστικὰ, *quæ ad mactandorum vitulorum ſignatio-*

d) Modus, quo Prophetæ ſe obnubere, hydriamque tegere ſolebant, difficillime ex deſcriptionibus, optime ex monumentis dijudicari poteſt.

Digitized by Google

tionem pertinent; ſunt autem decem libri, qui ad Deorum illorum honorem ſpectant, & Religionem Aegyptiacam continent; nempe de Sacrificiis, de Primitiis, de Hymnis, de Precibus, de Pompis, de feſtis diebus, & de aliis rebus ejusmodi.

De eodem ita loquitur APVLEJVS Metam. XI. p. 201. e) *Quartus Aequitatis oſtendebat indicium, deformatam manum ſiniſtram porrecta palmula, quæ genuina pigritia, nulla calliditate, nulla ſolertia prædita, videbatur Aequitati magis aptior, quam dextera. Idem gerebat & aureum Vaſculum, in modum papillæ rotundatum, de quo lacte libabat.*

De iſto Sacerdotum ordine mentionem quoque injicit CHÆREMON apud PORPHYRIVM de Abſtin. Lib. IV. pag. 371. dicendo: *Atque hic ſane philoſophandi modus vere receptus fuit Prophetis*, Ιεροστολισταῖς, *Sacris Scribis, ut & Horologis; turba autem reliqua Sacerdotum, Paſtophororum, Neocororum,*

e) Ex omnibus adparet, quod is, cujus mentionem heic injicit Apulejus, Στολιστὴς fuerit.

rum, & Diis ſubminiſtrantium, purificatur quidem ſimiliter, ſed non tam accurate nec cum tanta continentia.

Ex quo loco patet, ΣΤΟΛΙΣΤΑΣ, ſeu ΙΕΡΟΣΤΟΛΙΣΤΑΣ, ut illos Porphyrivs adpellat, fuiſſe ex Sacerdotibus Aegypti ſuperioris ordinis; quam quidem ſententiam certam eſſe arbitramur, etſi Plvtarchvs illos videatur ad inferioris generis Sacerdotes referre, idque duobus locis; quorum prior exſtat de Iſide pag. 352. ubi Ἱεροφόρους ἱεροστόλοις jungit, qui fuere ex genere *Paſtophororum*, ſeu inferioris ordinis Sacerdotum. Pag. vero 366. ita *ſcribit*: *Decima nona menſis die ſacram Ciſtam* ΣΤΟΛΙΣΤΑΙ, *& ceteri Sacerdotes efferunt, in qua eſt intus aurea arcula, cui infunditur aqua potabilis, ac clamor tollitur ab his, qui adſunt, vociferantibus Oſiridem eſſe inventum. Exinde tellurem frugiferam permiſcent, additisque mixturæ aromatibus & ſuffimentis ſumptuoſis effingunt imagunculam luniformem, & hanc amiciunt & ornant.*

Ad illuſtrandum iſtum locum tria potiſſimum notanda eſſe video. Primum enim ex eo,

eo, quod PLVTARCHVS dicit ΣΤΟΛΙΣΤΑΣ imagunculas in ſacris proferendas veſtire & ornare, adparet, quod a vocabulo Στολίζω, quod veſtire ſignificat, dicti fuerint, quia ſacris veſtibus, quibus ſigna exornabant, præpoſiti erant, minime vero, ut quidam volunt, idque contra Grammatices regulas, quia ipſi egregiis veſtimentis condecorati fuere. *f*)

Obſervandum eſt porro ex his adparere, PLVTARCHVM tum in hoc loco, tum etiam in præcedenti, ΣΤΟΛΙΣΤΑΣ cum *Paſtophoris*, *Ciſtophorisque*, de quibus alio tempore agemus, aliqua ex parte permiſcere; ex alia tamen parte illos etiam comparare cum Prophetis Sacræ Nili Aquæ cuſtodibus.

Notandum tandem videtur Clar. JABLONSKIVM hunclocum PLVTARCHI, quem mendoſiorem eſſe exiſtimat, corrigere tentaviſſe oſtendendo in ſingulari diſſertatione,

 quæ

f) Hinc notante Cupero in Harpocrate *Stoliſtæ* Firmico *Veſtitores divinorum dicuntur Simulacrorum.* Hoc Vocabulum etiam occurrit in Græca Verſione II. Regum X. 22.

quæ inſerta eſt Tomo VII. Miscell. Berolin. plvtarchvm de feſto die inventi, ſeu renati Oſiridis loqui, cujus tempus, cerimonias, originem, imitationemque in diverſis Religionibus iſte ibi late docteque explanavit.

Reſtat, ut ex monumentis, & ex Clemente Alexandrino, ac Apvlejo, agamus de duobus Inſignibus, quibus ΣΤΟΛΙΣΤΑΙ in ſacris Pompis ornati erant. Clemens ait Cubitum, Πῆχυν, Juſtitiæ fuiſſe notam *Stoliſtarum g*). Apvlejvs hoc Inſigne ita deſcribit. *Æquitatis oſtendebat judicium, manum ſiniſtram porrecta palmula, quæ genuina pigritia, nulla calliditate, nulla ſolertia prædita, videbatur Aequitati magis aptior, quam dextera. h*)

Hoc

g) Per Πῆχυν heic lacertum intelligimus ſenſu proprio hujus vocabuli, partem corporis, quæ a brachii commiſſura ad manum ſe extendit; unde tralatitia demum ſignificatione veniunt notiones menſurarum, & inſtrumentorum iis inſervientium.

h) Legenda heic Beroaldi Commentaria.

Hoc Aequitatis, Juſtitiæve ſignum, quod quidem me in monumentis Aegyptiis nondum vidiſſe memini, ingenio hujus gentis optime convenit; apud eandem enim omnes corporis partes in Hieroglyphicis Notis frequenter, ſignificanterque adhibitæ fuerunt. Apud eandem, quod propius ad præſens argumentum accedit, Judicum Imagines repræſentatæ fuerunt ſine manibus, qua de re ſic ſcribit PLVTARCHVS de Iſide p. 355. *Thebis ſimulacra fuerunt Judicum manibus carentium, ubi princeps illorum oculos in terram dejectos habebat, quo indicabatur, Juſtitiam donis & alloquiis non eſſe obnoxiam.* i)

Alterum Inſigne *Stoliſtarum* erat Σπονδεῖον, Vas ad libandum adhibitum, cujus materiam formamque APVLEJVS deſcribit dicendo: *Idem gerebat & aureum Vaſculum, in modum papillæ rotundatum, de quo lacte libabat.* k)

i) De Juſtitiæ nota jam diximus in Capite de Summi Judicis inſignibus.

k) De Lacte in Libaminibus Aegyptiorum adhibito pluribus dicemus in Scriptione de Sacrificiis Inanimatis.

Digitized by Google

Apud Montfavconivn II. 116. 1. in Pompa Aegyptiaca, quæ multis modis cum illis Clementis Alexandrini, & Apvleji convenit, *Stoliſtam* quidem nullum videmus, ſed ejus loco ſtatim poſt Prophetam occurrit Sacerdos femina manu tenens Sympulum, inſtrumentum, quo veteres in libationibus uti ſolebant.

ROMA

SACRI SCRIBÆ, Sacerdotes Aegypti ſuperioris ordinis; horum Officia, & Inſignia.

Inter primi ordinis Sacerdotes Aegyptios commemorandi quoque ſunt Sacri Scribæ, ſacrarum litterarum ac linguarum periti religioſique ſervatores, Mercurii Aegyptiorum, qui Scripturam, qui artes gentis iſtius inveniſſe cenſebatur, ſectatores ſeduli. Hos ad Sacerdotes ſuperioris ordinis refert Chæremon apud Porphyrivm Lib. IV. de Abſtin. dicendo: *Atque hic ſane philoſophandi* modus vere receptus fuit a Prophetis, Ἱεροστολισταῖς, *Sucris Scribis, atque etiam Horologis.* *l*) Jamblychvs quoque

l) Comparandus etiam Γραμματιστὴς τῶν

que de Myſteriis pag 1. auctor eſt, Pythagoram, Eudoxum, Democritum, Plutarchum, illos Græcos, qui ſua ab Aegyptiis hauſerant, ea accepiſſe a Sacris Scribis, *m*) unde, ut & ex multis aliis rationibus, conficitur, iſtos fuiſſe Sacerdotes ſcientiarum omnium in ea regione cuſtodes, non miniſtrando, ſed docendo; non ſacrificando, cum Diis circumcurrendo; ſed legendo, ſcribendo, ſcriptaque vetuſta explicando tempus conſumentia.

De iisdem ſic ſcribit HORAPOLLO I. 36. *Atramento, cribro & Junco — indicant Sacrum Scribam, quoniam hic vitam mortemque dignoſcit; nam eſt apud Sacros Scribas Liber, ſacram* AMBREM *adpellant, cujus ope judicium de*

ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίης apud Herodotum 2. 89.

m) Hoc Vocabulum ſœpius generatim de Sacerdotibus Aegypti adhibetur, v. gr. a Luciano in Macrobiis T. III. p. 210. ubi inter homines, qui ob vitæ genus victusque moderatam ſobrietatem diu vixere, commemorantur Sacri Aegypti Scribæ, atque Aſſyriorum, Arabum, Indorumque Philoſophi.

de ægro decumbente ferunt, ſit vitalis nec ne, id ex ægri decubitu ſignis quibusdam perſpicientes. Ad quem locum illuſtrandum non parum conferre videtur Josephvs Antiqu. Jud. T. I. 97. & Nvmenivs apud Evsebivm P. E. VIII. 8. qui *Jannem* & *Jambrem*, Aegypti Magos, quorum in Sacris Litteris mentio occurrit, Scribas Sacros vocant. De his autem ita loquitur Josephvs, agens de prædicta Nativitate Moſis: *E Sacrorum Scribis quidam, illi enim periti erant in futurarum rerum veritate, nuntiant Regi naſciturum puerulum. n*) Sic etiam apud Lvcianvm

n) De his Aegypti Sacerdotibus ſermo eſt Exodi VII, 11. ſed retentis nominibus eorum propriis, quæ occurrunt 2. Thim. III. 8. De Janne autem & Jambre ex Thalmudicis ſcriptis, ex Patribus Eccleſiæ, ex Plinio, Apulejo, aliisque, optime egerunt hujus loci interpretes, & præcipue Wetſtenius in editione N. T. Comparari etiam poſſunt Jani Grot, & Zentgravii ſingulares diſſertationes de Janne & Jambre, quorum nomina utique ſunt Aegyptia, hocque ſimile ſacro iſti libro *Ambrem* vocato, de quo ſupra loquuti ſumus. De Sacerdotum autem Aegyptiorum ſcientia futurorum, & magicis artibus protulimus plura in capite de Prophetis,

NVM in Philopſeude T. III. p. 60. Sacer Aegypti Scriba occurrit, qui magicas exercet artes. Apud eundem LVCIANVM, eo, quem nunc citavimus, loco, idem Sacer Scriba etiam vocatur Νοήμων; qua occaſione obſervandum duco, Cl. JABLONSKIVM in *Theſ. Epiſtol. La Croziano* I. 179. & in Panth. Aegypt. Prolegomenis, probare tentaviſſe, Scribas Aegyptiorum Sacros vocatos fuiſſe Νοήμονες, quatenus Νοήματα ἱερὰ, ſacra placita, diſcebant & explicabant. Idem quoque Vir erudițiſſimus ſatis veroſimili ratione ex lingua Coptorum docuit *Arpedonaptas*, Aegyptios illos Philoſophos, quorum mentionem EVSEBIVS Lib X. c. 4. Præp. Evang. & CLEMENS ALEX. *Stromat.* I. p. 304. injiciunt, ſi vocabulum hoc interpretemur nil aliud, quam Νοήμονες, Sacros Aegyptiorum Scribas ſcientiarum cuſtodes ſignificare. *o*)

quibus hæc præcipue conveniebant, quamvis & Sacris Scribis, & Horoſcopis tributa fuerint,

o) Clementi Alexandrino vocantur Ἀρπεδονάπται, Euſebio ſecundum conjecturam Jablonskii

Inſignia autem Sacrorum Scribarum, quibus in Pompis & in monumentis ornati fuerunt, ut & ſcientias & ſtudia, quæ ipſis fuere pertractanda, nunc ex Clemente Alexandrino explanabimus, cujus hæc ſunt verba, *Stromat.* VI. pag. 633. Ἑξῆς δὲ ὁ Ἱερογραμματεὺς προέρχεται, ἔχων πτερὰ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, Βιβλίον τε ἐν χερσὶ καὶ Κανόνα, ἐν ᾧ τό τε γραφικὸν μέλαν, καὶ Σχοῖνος, ᾗ γράφουσι, & quæ ſeq. *Deinceps progreditur Sacer Scriba Pennas habens in capite, ac in manibus Papyri volumen, & Vas Scapi forma, in quo librarium atramentum, & juncus, quo ad ſcribendum utuntur. Hunc oportet ſcire ea, quæ Hieroglyphica vocantur, & Coſmographica, & Geographica, & ordinem Solis & Lunæ, & quinque Planetarum, Chorographiam Aegypti, & deſcriptionem Nili, ut & adparatus ſacrorum, locorumque iis conſecratorum; ac menſuras, & quæcunque in ſacris ſunt neceſſaria.*

Pri-

ἀρσενεκδόνακτοι; adparet autem ex locis iſtorum duorum Scriptorum, hos fuiſſe Sacerdotes Aegyptios.

Primum itaque Inſigne Sacri Scribæ ſecundum CLEMENTEM fuere Pennæ in capite. Conſentit DIODORVS SICVLVS Lib. I. p. 98. dicendo: *Nonnulli tradunt, vetuſtis temporibus librum filo puniceo circumligatum, in quo Deorum cultus & honores ſcripti, ab accipitre Sacerdotibus Thebas allatum eſſe; quam ob cauſam Scribæ Sacrorum nunc quoque ſacrum licium purpureum, & accipitris pennam in capite geſtant. p)*

Hinc explicari poteſt locus HESYCHII ad Sacros Aegypti Scribas pennis ornatos referendus, qui ſic habet: Πτεροφόροι — Καλῦνται δὲ ὕτως καὶ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἱερέων τινές. ΠΤΕΡΟΦΟΡΟΙ, *Pennam geſtantes — Vocatur*

p) Per Licium intelligenda eſt illa tænia, qua pennæ in capite Sacerdotum tegumini illigabantur. Ceterum ex hoc loco, & ex innumeris aliis, adparet, Aegyptios, uti fere omnes antiquæ gentes facere conſueverunt, de rerum ſuarum origine aniles multas condidiſſe fabulas. Gloriabantur veterum plerique, ſe Artes, Leges, Cultum, aliquando & ipſas, quas adorabant, Statuas, non induſtria aut fortuna, ſed per prodigia proxime a Diis accepiſſe.

Digitized by Google

catur autem ſic etiam genus quoddam Aegyptiorum Sacerdotum.

Si jam vetera evolvamus monumenta videbimus in Admirandis Romanæ Antiquitatis apud MONTFAVCONIVM II. 116. in Pompa Sacerdotum Aegyptiorum procedere Sacrum Scribam, in capite Petaſum pennis inſtructum Mercurii more geſtantem. *q*) Videbimus apud Illuſt. Comitem de CAYLVS, qui primus magna cum ſolertia diverſa tegumenta capitum, quæ in Aegypti monumentis occurrunt, perſcrutatus eſt, Sacerdotes obſervari cum duabus pennis erectis in capite; *r)* aliumque cum pennis, in quarum medio diſcus exſtat. *s*)

CLE-

q) Oſtendere conabimur in fine hujus capitis cauſam iſtius ornatus, & aliorum inſignium, quæ in Sacris Scribis manifeſta erant, deducendam ex eo, quod hæc fuerint Mercurii ornamenta, qui collegiis illorum præeſſe cenſebatur.

r) Tom. IV. XI. n. 1. 3. 4.

s) Ibid. N. 2. Comparari poteſt monumentum Aegyptium, in quo admodum adoleſcens Sacer Scriba duabus pennis in capite, haud

Digitized by Google

CLEMENS ALEXANDRINVS aliud Inſigne Sacrorum Scribarum exhibet dicendo: *manibus* Βιβλίον, *Papyri volumen tenet.* Circumgeſtabant itaque iſti in ſolennibus ſcripta, quæ ſcientias ritusque illorum comprehendebant, & de quibus CLEMENS atque APVLEJVS multam fecere mentionem. Hoc Inſigni ornatur Sacer Scriba in Pompa, quæ occurrit in laudatis Admirandis Romanæ Antiquitatis apud Montfauconium II. 116.

Nil quoque frequentius in Aegyptiorum monumentis occurrit, quam Sacerdotes juvenes, raſi, ſedentes, nullo modo, ſi capitis integumenta quædam minora, torques, & feminalia excipiamus, ornati, in genubus volumina hieroglyphicis præcipue notis referta geſtantes, attenteque conſiderantes. Tales occurrunt apud Illuſtr. Comitem de CAYLVS I. 6. 2. MVS. CAPITOL. III. 89. Apud MONTFAVCONIVM II. 140. 4. 5. *Suplém.* II. 52. 2. & 4. Ubi notandum eſt,

Sa-

quidem accurate repræſentatis, ornatus eſt, apud Montfauconium *Suplém.* II. 53. 2.

Sacrum Scribam, qui No. 4. occurrit, & illum, qui apud Ill. Comitem de Caylus V. 18. 2. conſpicitur, ejusdem quidem ordinis Sacerdotes eſſe, ſed jam majoris alicujus in iſta Τάξει gradus, quod ex longiori veſte, quæ major, quam ſubligacula vulgo ſunt, ex tibiarum ornamentis, & ex hypopodio concludendum videtur; monumenta enim, quæ primo loco citavi, nobis juniores ex Sacris Scribis repræſentant; noviſſime huic ordini conſecratos; *t*) poſteriora autem jam alios exhibent in paulo majore dignitate conſtitutos; tertium tandem & ſummum gradum Sacrorum Scribarum videmus in toties laudata Pompa Iſiaca Montfauconii, in qua Sacrorum Scriba pennis in capite ornatus eſt, inſigni, quod ſuperioribus tantum hujus ordinis viris tributum fuiſſe videtur; idem cinctus eſt veſte a femore ad pedes uſque procedente; & volumen

t) Pocockius I. 213. vulgavit imaguunculam Aegyptiam juvenis Sacerdotis poplites flectentis manu utraque volumen tenentis, ubi perperam exiſtimat heic puerum repræſentari in ſervili opere occupatum.

Digitized by Google

lumen non in genubus habet ut legat ediſcatque, ſed convolutum elata manu cum majeſtate dignitateque circumfert.

Apud SCHAWIVM in itineribus T. II. 164. & apud MONTFAVCONIVM II. *Suplém.* 52. 1. Sacri hi Scribæ non volumina plicatilia ex conglutinatis Papyri chartis, aut ex lineis telis conſtantia, ſed tabulas quadratas lapideas hieroglyphicis litteris refertas tenent, quod plerumque vetuſtiores mores ac antiquiora indicat tempora, *u*)

CLEMENS ALEXANDRINVS aliud Inſigne addit dicendo, Sacrum Scribam geſtare Κανόνα, Vas formæ cylindraceæ, in quo Atramentum librarium & Juncus, quo in ſcribendo uti ſolebant. Plerique Κανόνα Regulam interpretantur, ſed ex diverſis notionibus hujus vocabuli iſta minime præſenti loco convenire videtur. Κανὼν, & Κανόνιον, Græ-

u) Heic quoque notandum videtur, apud Comitem de Caylus III. 8. occurrere Sacerdotum feminam, humi ſedentem, volumen manibus tenentem; vel quod ſacras legat preces, vel quod in ritus ſibi peragendos inquirat.

Digitized by Google

Græcis ſœpius idem eſt, quod antiquiores Latini Volumen, recentiores *Rotulum*, *Rutulumve* vocavere; ſed cum Clemens Alexandrinus tradat, Sacrum Scribam geſtaſſe Βιβλίον & Κανόνα, adparet, hoc vocabulum heic aliam vim habere; conſtat autem, quod Κανὼν non modo Regulam, Volumenque, ſed & Spatium atque Vas certæ alicujus, rotundæ maximeque cylindraceæ formæ notaverit, qua ratione hunc quoque locum intelligendum eſſe exiſtimamus. *x*)

Inſtrumentum autem, quod veteres Aegyptii ad ſcribendum adhibuere, erat Juncus, Σχοῖνος, calamus ad pennarum noſtrarum modum ſectus exacutusque, quod inter alia adparet ex Horapolline I. 38. *y*) qui ait: *Aegyptias Litteras, aut Sacrum Scribam, aut finem innuentes, atramentum, cribrum, & juncum pingunt. Aegyptias quidem Lit-*

x) De poteſtate hujus vocabuli legendi Stephanus in Dictionario, Beza ad II. Cor. X. 13. & præcipue Salmaſius ad Vopiſci Firmum p. m. 705.

y) Idem Lib. I. Cap. 14.

Litteras, quod his apud eos omnis Scriptura compleatur; junco autem, non alia re ulla ſcribunt.

Materia, qua veteres Aegyptii ſcribebant, non erat atramentum fluidæ, ut noſtrum, naturæ, ſed potius color ad hoc paratus, ſic, ut Sinenſium more non ſcripſiſſe, ſed pinxiſſe potius elementa ſua cenſeri queant; idque non ſemper junco, ut vult HORAPOLLO, ſed nonnunquam etiam penicillo; linea enim Aegyptiorum tela, tum *epiſtolographicis*, tum hieroglyphicis litteris referta conſideranti patebit, in illis ſœpius talem litterarum tenuitatem, flexurarumque ſubtilitatem obſervari, quam arundine ſcribentes nunquam exprimere potuiſſent. Linea autem iſta tela, quæ plerumque nigro, aliquando etiam rubro colore perſcribebantur, docente Ill. Comite de CAYLVS antea, ne atramentum inter ſcribendum nimis ſeſe extenderet, compoſitione aliqua imbuebantur, ad quam Aegyptii Bitumen Judaicum adhibuiſſe videntur.

Digitized by Google

Hæc ſunt Inſignia Sacrorum Scribarum, quorum Clemens Alexandrinus mentionem fecit; addamus his duo alia ex Horapolline & Apulejo. Auctor itaque eſt Horapollo I. 37. Aegyptios Sacrum Scribam repræſentare volentes Canem pinxiſſe. Teſtis quoque eſt Apulejus Metamorph. XI. in *Pompa Iſiaca iviſſe tertium* Virum, *attollentem Palmam auro ſubtiliter foliatam*, z) *nec non Mercurialem etiam Caduceum.* Tertius iſte Sacerdos Iſiaci proceſſus erat Ἱερογραμματεὺς cum Caduceo Mercurii, cum Palma, quæ eidem Deo in Aegypto con-

z) De Palmarum ramis, quos Aegyptii Sacerdotes præferre ſolebant, dicemus poſtea occaſione Horoſcopi; interim adſcribendus Epiphanii locus 64. 1. Hæreſ. 524. *Origenes — pro Chriſtiana Religione, ac fide, Chriſtique nomine, plurima perpeſſus eſſe dicitur; nam & in Urbe*, Alexandria, *tractus ſæpius & conviciis affectus & immaniſſimis quæſtionibus tormentisque ſubjectus eſt; inter cetera adraſum illum aliquando Græci pro Templi Serapidis, quod illorum Idolum eſt, gradibus collocantes Palmarum ſurculos in eos diſtribuere juſſerunt, qui ad execrandos ritus obeundos, venerandosque ſimulacrum adibant; hic enim Sacerdotibus idolorum apud eos habitus eſt.* Comparanda Cl. Huetii Origeniana.

conſecrata, ut patet ex *Iſiaco Marmore* OLIVAE, & ex illis Magorum Gemmis, quibus plerumque vocabulum ABRAXAS inſculptum eſt. *a*) Eidem Numini apud Aegyptios Canis quoque ſacer fuit, quod eſt notiſſimum. Ex quibus omnibus conficitur, Sacros Aegyptiorum Scribas eadem habuiſſe inſignia, quae Mercurio Aegyptiaco conveniebant; hinc etiam videmus Deum iſtum apud MONTFAVCONIVM II. 128. 2. volumen manu geſtantem, plane ut ille Sacerdos Pompae Iſiacae, quem Mercurio ſimilem ex *admirandis Romanae Antiquitatis Monumentis* produximus.

Nec mirum, Sacros Aegypti Scribas, litterarum & ſcientiarum cuſtodes, Mercurii Inſignia geſſiſſe; is enim apud Aegyptios

a) De his etiamnum obſcuris Gemmis, quas plerique perperam generatim Baſilidianas vocant, multa lectione digna congeſſere Macarius & Chiffletius, inania falſiſſimaque plura Kircherus, pereruditа Beauſobre Hiſt. Manich. & Jablonski in Diſſ. de Nom. Abraxas, Nova quoque, ſed non ita certa, hac de re ſcripſit Paſſeri de Gemmis Stellif. T. II.

Digitized by Google

ptios antiquiſſimus omni genere doctrinæ, & multarum artium ſcientia, is litteras inveniſſe, commentariorum ſcribendorum originem invexiſſe, rebus nomina indidiſſe putabatur; quæ omnia pervulgata ſunt, & a Cl. Jablonskio ita pertractata, ut inutile ſit de iis multis verbis diſputare. Sufficiat igitur nobis heic locum Jamblychi de Myſter. Aegypt. adſcribere, ex quo patet, Mercurium Sacerdotibus Aegypti præfuiſſe; ille autem ſic loquitur: *Deus Eloquentiæ præſes Mercurius olim recte exiſtimatus eſt Sacerdotibus omnibus eſſe communis; quique veræ de Diis ſcientiæ præeſt, unus eſt idemque in univerſis; quare & noſtri majores ſuæ ſapientiæ inventa illi dicabant, propria ſua commentaria omnia nomine Mercurii inſcribentes.*

De Horoſcopis, Sacerdotibus Ægypti primi ordinis, & de horum Muneribus, Inſignibusque.

Inter præcipuas Scientias, quas Sacerdotes Aegyptii excoluerunt, numeranda utique eſt Aſtronomia, ad quam illos cœlum ex

Digitized by Google

ex omni parte patens, regioque, ob magnas planities ad motus ſtellarum obſervandos aptiſſima, ducere videbatur; inſtigabat quoque eos ingenium Mathematicis artibus adcommodatum; invitabat agricolationis amor; & præ ceteris omnibus ipſa illorum Religio, ſuperſtitioque, quam fere totam Aſtronomicam fuiſſe, ex indubiis probari poteſt argumentis. *b)* Qua de re ſic ſcribit LACTANTIVS Lib. II. Cap. 14. de Orig. Err. *Omnium primi, qui Ægyptum occupant, cæleſtia ſuſpicere & adorare cœperunt; & quia neque domiciliis tegebantur propter aëris qualitiem, curſus ſiderum & defectus notaverunt, dum ea ſæpius venerantes curioſius ac liberius tuerentur.*

b) Quam magnos Ægyptii fecerint in Aſtronomia profectus, de quibus peritos varie ſentire video, alia eſt & non propoſita quæſtio; neque de illo dicendum, quantum Thales, Hipparchus, Eudoxus, ceterique Græcorum ab iis didicerint in ſcientia, quam non leviter tractaſſe videntur illi, qui Annum Caniculo Solarem tanto ingenio excogitarunt, qui Pyramides ſuas tanta cum peritia collocarunt. Legi meretur, *A letter to Martin Folkes concerning the riſe and progreſs of Aſtronomy amongſt the Antients, London.* 1746.

Aliam quoque rationem ad ſiderum obſervationes præbuit vana illa, ſed Aſtronomiæ non inutilis perſuaſio, de Diis ſtellas inhabitantibus, ſortesque humanas tanto tamque invincibili imperio regentibus, ut omnes mortalium eventus, omnes liberæ noſtræ actiones ex illarum tactu deducendæ; unde quoque exiſtimabant, peritum Aſtrologum ex vi motuque ſtellarum, quæ natalibus præfuerunt, inevitabile fatum hominis perſpicere prædicereque poſſe. Hanc Artem a Mercurio, ut fingebant, acceptam, longinquitate temporum innumerabilibus experimentis confirmatam, Petoſiris & Necepſo evulgaſſe tradebantur, quorum poſterior Rex Ægypti, uterque illius regionis Magus fuit. c) De Aſtrologia Ægyptiorum adſcribendus etiam videtur locus Herodoti, qui Lib. II. ait: *Alia inſuper ab Ægyptiis ſunt excogitata, quis menſis, diesve, cujus Deorum ſit; (d) & quo quis die genitus qualia ſortietur,*

c) De his Aſtrologis optime egit Marshamus in Canone Chronico.

d) Ex hoc loco adparet, quod ab Ægyptiis, qui certa quædam tempora Diis ſuis jam in pri-

Digitized by Google

tur, & quam mortem obiturus; & qualis vixerit.

Addendus DIODORVS SICVLVS Lib. I. p. 91. cujus hæc ſunt verba: *Sacerdotes in Geometriæ & Arithmeticæ ſtudiis pueros prolixius exercent; nam quia Fluvius quotannis egreſſus varie agros transformat, multas omnis generis controverſias inter vicinos de limitibus excitat, quas exacte dirimere non facile eſt ſine Geome-*

ma conſecrarunt antiquitate, deducenda ſit origo ſeptem dierum hebdomadis totidem Planetis adſcriptorum. Eandem rem confirmat Dio Caſſius Lib. 51. dicendo: *Quod autem dies ad ſeptem ſidera illa, quæ Planetas appellant, referuntur, id ab Ægyptiis haud ita dudum, ut paucis dicam, inſtitutum, ad omnes homines dimanavit.* Huc etiam pertinent Clem. Alex. Strom. 1. & Philaſtrius de Hæreſ. c. 103. & 112, qui hæc omnia Mercurio Trismegiſto, qui totus Ægyptius, adſcribunt. De hac vero re præ ceteris legi merentur Marshamus atque Spencerus, qui, occaſione Sabbathi Judæorum, hoc argumentum late pertractarunt. Addendus Seldenus de Jure N. L. III. &Cl. Des Vignoles Chronol. T. II. 683, qui multis obſcuram illam controverſiam tangit, de qua Plutarchus in deperdito diſputaverat libro, cur antiqui in conſecratione Dierum hebdomadis non illum, quem Planetis tribuerunt, ordinem ſervaverint.

triæ peritia. e) Arithmetica autem cum ad ceteras, tum ad vitæ rationes, tum ad Geometriæ ſpeculationes ipſis commoda. Ad hæc non parum ſtudium id emolumenti cultoribus Aſtrologiæ adfert; nam Aegyptii, quamvis & alii, accuratiſſime ſiderum conſtitutionem & motum obſervant, & deſcriptiones ſingulorum per incredibilem annorum numerum cuſtodiunt, cum ab antiquiſſimis inde temporibus hoc apud eos ſtudium certatim ſit agitatum. Planetarum etiam motus, & circuitus, ſtationes, ac uniuscujusque vires circa ortus animantium, quæ bona, aut quæ mala efficiant, cupide & impenſe annotarunt, & ſæpe eventuros vitæ caſus prædicentes hominibus velut acu rem tangunt.

Has Aſtrologiæ artes cum Aegyptiis factitarunt etiam Chaldæi, Perſæque; & a pri-

e) Ex hoc loco adparet, Sacerdotes Aegypti Geometriam quoque, & Arithmeticam docuiſſe; quod ex Platone de Leg. ex Jamblycho in Nicom. ex Juliano apud Cyrillum, ex Philone de Vita Moſis, & ex multis aliis conſtat argumentis. Origo autem & neceſſitas Geometriæ in Ægypto a pluribus Scriptoribus, in commentariis Diodori Siculi citatis, ab iisdem, quæ heic adferuntur, rationibus petitur.

primis hauſere antiquiores Indorum Sacerdotes, conſtat quoque, in æternum humanæ mentis opprobrium, ſæculis noſtra tempora proxime tangentibus, avitæ ridiculæ anilisque iſtius Superſtitionis labem, non modo vulgo ſemper ac ubique imbecilli placuiſſe, ſed & ipſis eruditorum cordibus inhæſiſſe.

Hæc de Aſtronomiæ Aſtrologiæque Ægyptiacæ ſtudiis breviſſime dicta ſufficiant, cum illud magis noſtri ſit officii, ut oſtendamus, Sacerdotes Aegyptiorum has ſcientias, & quidem præ ceteris, excolere aliisque tradere conſueviſſe; quod ſi præſtitum fuerit, videbimus, fuiſſe Claſſem Sacerdotum, in hæc munera præcipue incumbentium, probabimusque, illam certa quoque habuiſſe Inſignia.

Sacerdotes Ægyptiorum, ut omnia litterarum ſtudia, ſic præcipue Aſtrica, curæ habuerunt; quottidie hanc ſcientiam diſcebant ex majorum commentariis, noctes quoque ſuas, auctore PORPHYRIO, *f*) præter

 Lu-

f) Porphyrius de Abſtin. 369. *Sacerdotes noctem dividunt in ſiderum obſervationem, & aliquando ad ſui ſanctificationem.*

Luſtrationes fere integras ſiderum intuitioni deſtinantes. Hanc vero doctrinam, ut pleraſque ſuas Scientias, callide occultabant, ſuis tantum aperiebant, vulgum & peregrinos, niſi fuerint viri ingenio excellentes & pæne divini, longius ab illa removentes; qua de re ſic ſcribit Strabo Lib. XVII. p. 1158. *Heliopoli g) domus amplas vidimus, in quibus Sacerdotes habitabant, hanc enim perhibent olim Sacerdotum habitationem fuiſſe, hominum Philoſophiæ & Aſtronomiæ deditorum —. Etenim Eudoxus cum Platone eo profectus eſt, & ambo cum Sacerdotibus annos tredecim ſunt verſati, ut nonnulli tradiderunt; iſti Sacer-*

g) Collegium Sacerdotale Heliopolitanum fuit ex antiquiſſimis præſtantiſſimisque, &, cum Solem ibi præcipue colerent, mirum non eſt, eos maxime Aſtronomiæ artes tractaviſſe. De Sacerdotio autem hujus Urbis hæc legimus Geneſ. 41. 45. *Joſepho — Aſenatham filiam Potipheræ Sacerdotis Oniorum in uxorem collocavit.* Conſtat enim inter omnes tum ex lingua Coptorum, tum ex Interpretibus antiquis, per *On* Heliopolin intelligendam eſſe. Comparandæ Guil. Bonjour Exercitationes in Monumenta Coptica ſeu Ægyptiaca Bibliothecæ Vaticanæ, vulgatæ Romæ, A. 1699.

Sacerdotes cum rerum cœleſtium ſcientia præſtarent, ceterum arcanam eam ſervarent, neque cum quoquam eam communicare vellent, tamen & tempore & obſequio devicti, nonnulla præcepta enarraverunt, cum plurima interim barbari occultarent. Sic excurrentes diei & noctis particulas ſupra 365 dies ad anni complementum tradiderunt. h) Ignorabatur annus eo tempore apud Græcos, quemadmodum & alia permulta, donec juniores Aſtrologi ab iis ea acciperent, qui Sacerdotum monumenta in Linguam Græcam transtulerunt.

Nec minus Sacerdotes apud eos in Aſtrologiæ ſtudia, in ea regione tam prope Aſtronomiæ juncta, incumbebant. *Ex Aſtrologia*, inquit DIODORVS SICVLVS p. 84. *Sacerdotes, ut & ex ſacrorum inſpectione futura prædicunt & divinant. i)*

Hæc

h) De accuratiore Anni forma, Ægyptiis Sacerdotibus quidem cognita, ſed in civili vita antiquitus non adhibita, legendus Cl. Des Vignoles Chronol. T. II. p. 647. ſeq.

i) Vidimus alio loco hanc futura prædicendi ſcientiam, quam ſuperſtitioſus populus Aegypti Sacerdotibus tribuebat, idque maxime ob Aſtrologiæ ſtudia, fuiſſe præcipuam rationem, qua

Hæc cum ita eſſent, Aſtronomi Aſtrologique claſſem ſpecialem Aegyptiorum Sacerdotum conſtituerunt; hinc Sacrum Scribam in ſolenni Aegyptiorum Proceſſu, quem ex CLEMENTE ALEXANDRINO [1] Strom. VI. illuſtrandum ſumſimus, præceſſit *Horoſcopus*, de quo ille ita ſcribit: *Poſt Cantorem procedit* HOROSCOPVS, *in manu habens Horologium & Phœnicem, Aſtrologiæ Symbola. Hunc oportet ſemper in ore habere Aſtrologicos Mercurii Libros, qui ſunt quatuor; quorum unus eſt de ordine inerrantium ſtellarum, quæ adparent; alter de coitu & illuminatione Solis & Lunæ; reliqui duo de illarum ortu.*

Eundem CHAEREMON apud PORPHYRIVM de Abſtin. IV. 371. *Horologum* vocat, atque inter primi ordinis Sacerdotes Aegyptios collocat, dicendo: *Atque hic ſane philoſophandi modus a Prophetis*, ἱεροστολισταῖς, *Sacris Scribis, & Horologis, receptus fuit; turba autem reliqua Sacerdotum, Paſtophororum, Neocororum, & Diis ſubminiſtrantium, purificatur*

catur

ſenioribus peritioribusque illorum Prophetarum, quo ſuperbiebant, meruit titulum.

catur quidem ſimiliter, ſed non tam accurate, nec cum tanta continentia.

Ut vero de hujus officiis inſignibusque judicium ferri queat, neceſſarium eſt penitus inſpicere diverſas notiones vocabulorum Horoſcopi, Horologi, indeque pendentium Horoſcopii, Horologiique; quod præſtabimus auctore potiſſimum eruditiſſimo SALMASIO, qui in Commentariis ad Solinum hac de re optime diſputaviſſe videtur.

Horoſcopus itaque vel de Deo ſumitur, vel de Sacerdote, *k*) ut in loco, de quo agimus. Horoſcopus vocatur primo inferius illud Aegyptiorum Numen, quod ſub *Decani* nomine natalibus mortalium præeſſe, Geneſin & fata illorum inde pendentia inſpicere cenſebatur. PERSIVS VI. 8. *l*)

— — — *Geminos Horoſcope varo*

Producis Genio.

Sed

k) Aliquando etiam *Horonomus* vocatur.

l) Poëta, ut Aſtrologiæ vanitatem declaret, ait: O Numen Horoſcope eo tempore, quo mortalium fatum a tuo pendet imperio, gemini in lucem prodeunt fratres diverſo penitus præditi ingenio!

Sed Horoſcopus eſt etiam Sacerdos, *m*) cujus munus Hesychius, vocabuli iſtius originationem ſecutus, interpretatur de illo, qui horas inſpicit; quod is facere potuit vel ad uſum tantum civilem, ut diei horas populo annuntiaret; vel in Aſtronomiæ ſubſidia, ut ex umbrarum ratione de Æquinoctiis, Solſtitiis, Meridianisque circulis judicare poſſet; vel tandem in Aſtrologiæ gratiam, ad prædicendos eventus mortalium ex geniture momento; ubi & illud notandum eſſe exiſtimo, Horæ vocabulum vetuſtiſſimis temporibus in Aſtrologicis adhibitum non ſemper diei vel noctis duodecimam indicare partem, ſed punctum tantum, vel tempus natalium.

Cum vero Horoſcopi Horologique ſignificatio non una eademque ſit, vario quoque modo explicari poteſt Horologium, inſtrumentum illud, quod ex ſententia Clementis

m) Horoſcopi vocabulum de Sacerdote occurrit apud Horapollinem, qui Lib. I. 40. ait: *Horoſcopum indicare volentes hominem pingunt horis veſcentem, non quod horas homo comedat, id enim fieri nequit, ſed quod hominibus cibi certo tempore porrigantur ac apponantur.*

TIS ALEXANDRINI unum ex ornamentis illorum Sacerdotum fuit, qui hæc ſtudia peculiariter curabant. *n*)

Horologia & Horoſcopia fuere omnia illa Inſtrumenta, quorum ope Horoſcopus hominis, ſeu tempus genituræ illius cognoſci poterat, quam ob cauſam non modo Horologia proprie ſic dicta, ſed & Aſtrolabium aliquando hoc nomine apud HEPHÆSTIONEM aliosque occurrere video.

Vulgo autem Horologia vocabantur Inſtrumenta horas indicantia, talia erant Sciaterica, Solaria, Chaldæis & Aegyptiis vetuſtiſſimis temporibus cognita. *o*) Cum vero ea non omni tempore uſum præberent adinventa etiam fuere Aquaria Horologia, quorum uſum apud Aegyptios diſcimus ex loco HORAPOLLINIS I. 16. quem, etſi longior ſit, heic tamen exhibebimus, cum multa ad rem præſentem facientia continere videatur.

Aequi-

n) Horoſcopium vulgo de Inſtrumento adhibetur, quo Horoſcopus invenitur: Horologium de eo, cujus ope horæ agnoſci queunt; ſed frequenter etiam hæc permutantur.

o) Conferatur Macrobius Somn. Scipionis I. 20.

Aequinoctia, inquit ille, *ſignificantes idem animal, Cynocephalum, pingunt; duobus enim Anni Æquinoctiis duodecies in die, per ſingulas nimirum horas urinam reddit, idemque & noctu facit; quare non immerito ſuis Hydrologiis Aegyptii Cynocephalum ſedentem inſculpunt, e cujus membro aqua defluit; idque propterea, quod duodecim, ut jam dixi, in quas Aequinoctii tempore dies ac noctes ex æquo dividuntur, horas ſignificat. Ceterum ne foramen illud acute atque artificioſe conſtructum, per quod in Horologium aqua profluit, & excernitur, aut latius ſit aut rurſus arctius, utrumque enim magni refert — remedium hoc excogitarunt, ut, quidquid pilorum eſt ad caudam usque abradentes, pro hujus craſſitudine ferream quandam fiſtulam in uſum jam dictum faciant.* o) Ex hoc loco inter

& Interpretes 2. Reg. XX. Jeſ. XXXVIII. ubi occaſione Solarii Achaſi late de Sciatericis diſputatum fuit. De diverſis vero generibus Clepſydrarum, & præcipue de Organo Hydraulico Cteſibii Aegyptii, optime egit Cl. Salmaſius loc. cit. De Horoſcopiis Veterum ſingularem quoque, ſed deperditum librum, conſcripſit Hero Alexandrinus, hujus nominis primus.

o) Kircherus Oedipi Æg. T. II. P. II. 339.

Digitized by Google

ter alia & illud concludendum, apud Ægyptios antiquioribus temporibus diviſionem diei in duodecim horas æquinoctiales uſitatam fuiſſe. Conſentit VICTORINVS in Rhetor. Ciceronis, cujus hæc ſunt verba: *Quodam tempore, inquit Triſmegiſtus, cum eſſet in Aegypto ſacrum quoddam animal Serapi dedicatum, quod in toto die duodecies urinam feciſſet pari ſemper interpoſito tempore, per duodecim horas diem dimenſum eſſe conjecit, & exinde hic horarum numerus cuſtoditur.*

HORAPOLLO Lib. I. 46. porro adfirmat, Sacerdotes Horoſcopos, qui, ut omnis ſacrorum

rum

aliquo modo videtur indicare ſe Ægyptium Horoſcopium, quale ab Horapolline deſcribitur, conſpexiſſe; ſed ſuſpecto mendacique iſti ſcriptori fidem nullam habemus. Remotiorem aliquam cum iſto Horapollinis loco convenientiam habere videtur Iſiacæ Tabulæ initium, ubi adeſt Cynocephalus cum Ariete alio, verni Aequinoctii ſigno; conferri ibidem poſſet Vir manu Avem, Phœnici non abſimilem, tenens, Cynocephalo prope adſtans, alterque Orygem aræ imponens, quod Animal, ut Phœnix, Horoſcopi nota fuit, qua de re agemus in ſequentibus; ſed fateor, hanc conjecturam mihi obſcuriſſimam videri.

Digitized by Google

rum Miniſtrorum turba, Regibus frequenter aderant, ipſis diei ortum adnuntiare ſolitos fuiſſe. Sic enim ſcribit de Oryge, ſylveſtris capræ infeſto genere: *Antiqui Reges, cum ſibi ortum nuntiaret Horoſcopus hoc animal contra Solem ſtatuentes vertentesque, ejus opera veluti Gnomone quodam veritatem ortus Solis explorabant, quare & Sacerdotes unam hanc inter pecudes non ſignatam comedunt.* p)

Sacerdotem Horoſcopum Aegyptium, Horologii inſigni ornatum, in Monumentis nondum vidi. Inquirant, qui ſigna poſſident vetera, maximeque illi, quibus Aegyptum adire contingit, & Sacerdotum Pompas in anaglyptis operibus picturisque intueri. Iſti demum cum aliqua veri ſimilitudine de veterum Aegypti Horologiorum forma diſſerere poterunt; quæ ſine dubio pro varia ætate diverſa, olim rudiora, poſtea perfectiora fuere.

Sed

p) Vulgo legitur, Ἐπικαθίσαντες τούτῳ τῷ Ζώῳ ac ſi Reges Orygi velut Equo inſediſſent. Alii corrigunt Ἐπικαθίσαντως, quo modo Horoſcopus Animali inſediſſet; nonnulli, quod melius, Ἐπικαθίσαντες τούτω τὸ Ζῶον; plurimi, quod optimum videtur, Ἀντικαθίσαντες, contra Solem collocantes.

Sed hoc non ſolum fuit Inſigne, quo Sacerdos Horoſcopus in ſacro ornatus erat Proceſſu; nam præter illud ferebat etiam *Φοίνικα*, quæ duo Aſtrologiæ indicia fuiſſe, ex laudato CLEMENTIS loco patet; ubi notandum exiſtimo, vocabulum Aſtrologiæ, heic & ſtatim poſtea de Mercurii ſcriptis adhibitum, non modo illam ſcientiam, quam hodie vulgo Aſtrologiam nominamus, ſed Aſtronomiam etiam ſignificare; quod eo magis animadvertendum, ne Sacerdos Horoſcopus pro vano tantum ſumatur Aſtrologo, cum is vilem divinatricem artem quidem profeſſus fuerit, ſed perpetuo cum ſublimi ſtudio Aſtronomiæ conjunctam.

Quod attinet ad *Φοίνικα*, alterum Horoſcopi Inſigne, *q*) video, Interpretes hoc vocabulum vel per Palmam, vel per Phœnicem convertere. Palma Aſtrologiæ ſignum eſſe potuiſſet, quatenus fuit inſigne Mercu-

q) Grus fuit etiam ſignum Aſtronomiæ apud Aegyptios, auctore Horapolline II. 93. ſed nulla vidi huc facientia monumenta. Ratio autem iſtius notæ hieroglyphicæ forte in ſublimi aeriæ avis volatu quærenda.

rii Aegyptii, hujus ſcientiæ auctoris; vel quia fuit hieroglyphica Anni Menſisque nota, auctore Horapolline I. 3. & 40. *r*) Hæc ſententia penitus rejici nequit, veroſimilior tamen videtur illa, quæ heic Avem Phœnicem intelligendam exiſtimat, quia magnum illum Annum Canicularem Aegyptiorum indicabat; nam cum *hujus Alitis vita*, auctore Plinio X. 2. *s*) *magni converſionem anni fieri ſcribit Manilius, iterumque ſignificationes tempeſtatum & ſiderum easdem reverti. t*)

Sacri

r) Bochartus, vir multarum litterarum, exiſtimat, fundamentum fabulæ de Phœnice, quam Aegyptii arripuere, & ad magnum ſuum Annum indicandum more iſtius gentis adauxere, in ipſo ambiguo vocabulo Φοῖνιξ latere, quod Palmam quoque ſignificat, de qua tradebatur, illam, poſteaquam emortua eſſet, iterum ex ſe ipſa renaſci.

Phœnicis ortus adſcribitur Heliopoli, quia ibi Sacerdotes Aſtronomi Aegyptiorum habitabant, magni illius Anni inventores. Avis iſtius ætatem, de qua multum diſputatum fuit, Aſtronomicis computis convenientem, exhibuit Tacitus Annal. VI. 28.

s) Conf. Solinus: 36.

t) Horapollo II. 57. Cenſorinus 18. Des Vignoles Chronol. II. 665.

Digitized by Google

Sacri Cantores, Sacerdotes Aegyptii ſuperioris ordinis.

Apud Aegyptios, ut fere apud omnes vetuſtatis gentes, ſacrorum ſacrificiorumque non minimam partem conſtituebat vocum inſtrumentorumque concentus; lætus diebus hilaribus, lugubris temporibus triſtibus; *v*) ſuavis ad demulcendos Deos, terribilis malos abigens Genios. *x*) Hac de re ubique antiqui loquuntur Scriptores, ubique vetuſtatis monumenta, ſic, ut vix explicari queat DIODORVS SICVLVS, qui Lib. II. p. 92. ita ſcribit: *Apud Sacerdotes Aegyptiorum Palæſtram & Muſicam diſcere non moris eſt — Muſicam non modo inutilem, ſed & noxiam eſſe, ut quæ virorum animos effeminet, perſuaſum habent.*

Sed contrarium de Aegyptiis teſtatur PLATO de Leg. 2. & HERODOTVS, *y*) qui in

v) De Muſica in ſacris adhibita legendus Browerius de Adorat. cap. 26.

x) De ſtrepitu Inſtrumentorum Muſicorum, & præcipue Siſtrorum, ad deturbanda mala Numina, comparandus Plutarchus de Iſide p. 376. & Lampius de Cymbalis L. 2. cap. 11.

y) Lib. II. p. 111. Gron. Addendus idem Scri-

in ſacro ad Bubaſtin itinere Muſices amplam facit mentionem; cui conſentit monumentum Aegyptium, a Comite de Caylus vulgatum, Tom. I. 3. 3. in quo hæc navigatio cum muſicis Inſtrumentis celebratur.

Diodoro quoque Philo Judaeus Lib. I. de Vita Moſis aperte contradicit, dicendo, *Moſen ab Aegyptiis doctoribus accepiſſe rhytmicam, harmonicam, & metricam theoriam; univerſam Muſicam per inſtrumenta & voces ſe variis modis artibusque promentem.* z) Acce-

ptor Lib. II. C. 75. de cantilena in honorem Nili, Manerotis Aegyptiorum, Lib. II. Cap. 75.

z) Nimium forte Philo Aegyptiis Moſique hic tribuit, nam optima explicatio Diodori Siculi hæc videtur, quod Sacerdotes Aegyptii ſacram cum dignitate conjunctam Muſicam adamaverint, quæ animos vulgi, ut omnes cerimoniæ, totos ad religioſos actus præparabat, rapiebatque; ſed quod iidem antiquioribus temporibus alto ſeveroque ſupercilio rejecerint molliorem illam ſuavioremque divinæ artis partem, quæ hominum mentes dulcius irritans iſtis omnium voluptatum oſoribus periculoſior videbatur. Addenda ſunt loca Strabonis & Aeliani, ex quibus adparet, Diodorum forte ad varia Muſices

Digitized by Google

Accedit POLLVX, *a*) qui Lib. IV. 11. Symphoniacorum in ſacris Aegypti mentionem facit; accedunt illi, quia varia Muſices Inſtrumenta ab Aegyptiis inventa fuiſſe tradunt; ut & PLVTARCHVS de Iſide p. 372, & CLEMENS ALEXANDRINVS Pædagog. 3. 216, qui ſacros hymnos, a Sacerdotibus in Deorum honorem cantatos, memorant. DIODORI opinionem convellit & APVLEIVS Metam. XI. dicendo: *Pompam Iſiacam — amœnus lectiſſimæ juventutis veſte nivea & cataclyſta prænitens ſequitur chorus, carmen venuſtum iterantes, quod Camœnarum favore ſolers Poëta modulatus edixerat. b)*

genera, diverſaſque Aegypti provincias reſpexiſſe. Strabo Lib. 17. ait: *In Abydo colebatur Oſiris, ſed in ipſius Templo non licebat, nec Cantori, nec Tibicini, nec Citharoedo* (diverſi ordines Sacerdotum Muſicæ arti præfectorum) *ſacrificium auſpicari, quemadmodum mos eſt aliis Diis.* Et Aelianus N. An. X. 28. *Buſiritæ, Abydus, & Lycopolis idcirco tubæ ſonitum deteſtantur, quod ab Aſino rudente ejus clangor diſſimilitudinem non habuerit.*

a) Legendus idem Pollux 4. 10. de *Ginglaro*, parva Aegyptiorum tibia.

b) Ex hoc loco, ex præcedentibus, & ex pluribus monumentis patet, dies feſtos, ſacrifi-

Addendus etiam Theodoretus T. IV. Serm. 7. p. 584, qui ait: *Iſraëlem longum tempus in Aegypto verſatum, praviſque indigenarum moribus imbutum, & idolis ac dæmonibus immolare ab illis edoctum, & ludis choreiſque ac Muſicis organis oblectari, harum rerum in habitu conſtitutum liberare volens Deus, ſacrificare quidem permiſit, non tamen omnia ſacrificare, neque falſis Aegyptiorum Diis, ſed ſibi ſoli Aegyptiorum etiam Deos offerre. — Haud itaque victimarum indigens Deus, nidoriſve adpetens, illa inſtituit ſacrificia, ſed ut ægrorum adfectibus mederetur; ſic & Muſica Inſtrumenta in cultu ſuo paſſus eſt, non quod illorum concentu oblectaretur ipſe, ſed ut idolorum errorem pau-*

ciaque Aegyptiorum, cum Muſicis inſtrumentis, ut & cum Saltatione conjuncta fuiſſe. Sic Iſraelitæ in aurei vituli cultu comeſſationes ſaltationesque inſtituerunt; iſti autem ſaltatores in ſacris Aegyptiorum pompis potius fuere ex illarum comitibus ac antecurſoribus, quam ex ipſo Sacerdotum ſodalitio, qui in initiationibus præcipue ſaltationes adhibendas exiſtimabant, cujus moris veſtigia ubique reperimus. Iſiacorum Sacerdotum chorum inſtrumentis muſicis inſtructum ſœpius conſpicimus in Prænestinis ac Herculanenſibus monumentis.

paulatim aboleret; ſi enim, ut primum ab Aegyptiorum poteſtate liberati ſunt, perfectas eis leges objeciſſet, reſiliiſſent prorſus, & frænum reſpuentes, ad priſtinam labem recurriſſent. c)

Vnum igitur ex Sacerdotum Aegyptiorum officiis fuit ſacræ præeſſe Muſicæ, unus ex ordinibus illorum fuit ille Cantorum, & *Hieropſaltarum*, *d*) de quo ſic ſcribit CLE-

c) In tranſitu obſervo, Theodoretum hic citatum, Philonem, Euſebium, Origenem, Hieronymum, Chryſoſtomum, Maimonidem, aliosque plures, in ea eſſe ſententia, Moſis Leges, temporibus inſervientes, Judæis Aegyptum derelinquentibus, iſtiusque regionis moribus avidiſſime addictis, plures Aegyptias cerimonias, aliquando adhibita quadam mutatione, conceſſiſſe; idque præcipue in ſacro Muſices concentu, in ſacrificiis, in diebus feſtis, in luſtrationibus, in Urim & Thummim, in Arca, & in quibusdam aliis. Ita etiam inter recentiores Scriptores ſenſere Hoſpinianus, Pellicanus, Toſtatus, Hackſpanus, Marshamus, ac Clar. Spencerus in Libro, qui inſcribitur, de Legibus Hebræorum ritualibus.

d) De Sacro Cantore loquitur etiam Porphyrius Lib. IV. p. 374. de Abſtin. cujus locum ad-

mens Alexandrinvs Strom. VI. 633. *In Sacerdotum Aegyptiorum ſolennibus — primus procedit CANTOR, Ὠδὸς, unum aliquod adferens ex Symbolis Muſices. Dicunt illum ex Libris Mercurii duos accipere, quorum unus Hymnos Deorum, e) alter regiæ vitæ rationes continet.*

Eundem Sacerdotem Joseppvs in Hypomneſtico, p. 330. Cod. Apocr. V. T. Fabritii,

ſcribendum duximus, quia ex eo adparet, iſtos Sacerdotes non modo Muſicis Inſtrumentis uſos fuiſſe, ſed Libationem aliasque ſacras cerimonias peregiſſe; ſic enim ſcribit: *Aegyptii inter elementa ignem & aquam maxime venerantur, ut quæ noſtræ generationis, & ſalutis ſint cauſæ & primordia, quod in apertura Templorum demonſtrari adhuc poteſt ex ipſo Sancti Serapidis cultu, qui aqua & igne abſolvitur, quando videlicet CANTOR, Ὑμνῳδὸς, aquam libando, & ignem oſtendendo, in via erectus, patria voce excitat Deum.*

e) Hymnorum iſtorum origo hæc videtur, cum homines, & præcipue Sacerdotes, auguſtas cerimonias ac magnificentiam ad Deorum ſuorum Religionem excogitantes, pulcherrima Templa, Simulacraque fecere, exiſtimabant Numina quoque ſua non vulgari ſermone, ſed illuſtrioribus verbis, jucundiſſimisque numeris, laudanda eſſe.

Digitized by Google

britii, *Hieropſalten* vocat dicendo: Ἐν Αἰγύπτῳ Τὸ Βονὶ (alii legunt Τὸ Βυνὶ - Τὲ Βυνὶ) ὄργανόν τι τρίγωνον ἐναρμόνιον, ῷ χρῶνται οἱ Ἱερόψαλται ἐν τοῖς Κώμοις πλεκτιζόμενοι. i. e. *Toboni in Aegypto eſt Muſicum Inſtrumentum triangulum, quo in ſolennibus pompis ſacri Cantores adhibito Plectro uti ſolent.*

Hunc Sacerdotem Cantorem conſpicimus in Monumento a KIRCHERO, & poſtea a MONTFAVCONIO 2. 116, vulgato, ubi in Sacra Aegyptiorum Pompa Sacerdos plectro trigonum pulſat.

Clar. JABLONSKIVS *f*) oſtendit in ſuperius citato JOSEPPI loco legendum eſſe *Tebuni*, vocabulum enim illud in Interpretatione Coptorum GENES. XXXI. 27. & APOCAL. XIV. 2. Citharam deſignat; cum qua facillime confundi potuit inſtrumentum, quo Vates Aegyptius in laudato monumento, & quo etiam Sacerdos Aegyptia in Romano

f) In Theſauro Epiſtol. la Croziano. 1. 206. Apud Montfauconium 2. 140. A. Expl. occurrere videtur Sacerdos cum Trigono, ſed cum parum exacta ſit illius imago, certi nihil hic definire queo.

Digitized by Google

mano marmore apud Sponivm Miſcell. 21. ornata eſt; hoc vero inſtrumentum proprie non eſt Cithara, ſed Trigonum, veterum illi Organo, quod *Harpe* vocamus, maxime ſimile; ſed Lyræ Citharæque generalioribus nominibus omnia illa inſtrumenta indicabantur, quæ nervis intenta erant. *g)*

Notiſſima quoque ſunt ſiſtra Sacrorum Aegypti Miniſtrorum, de quibus iſta ſcribit Apvleivs Metam. XI. *h) Hi capillum deraſi funditus, vertice prænitentes, magnæ Religionis terrena ſidera,* (ridiculum Sacerdotum Aegyptiorum elogium,) *æreis & argenteis, imo aureis etiam Siſtris, argutum tinnitum conſtrepentes.*

Sic in Herculanenſibus Picturis *i)* Iſiacos vide-

g) Clar. Burette *de la Symphonie des Anciens* pag. 126. T. 4. *Memoires de l'Acad. R. des Inſcript. & Belles L. de Paris.*

h) Idem Apuleius Siſtrum ſic deſcribit: *Iſis — dextera quidem ferebat æreum Crepitaculum, cujus per anguſtam laminam, in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucula virgulæ criſpante brachio tergeminos ictus reddunt argutum ſonum.*

i) In Itineribus Pocockii, pag. 211, occurre-

Digitized by Google

videmus varias Siſtrorum ſpecies tenentes. *k*) Eodem inſtrumento Aegyptius Vates utitur in monumento Romano apud MONTFAVCONIVM 2. 116, ubi etiam, ex Admirandis Romanæ Antiquitatis, Iſidis Sacerdos femina producitur in ſolenni pompa Siſtrum gerens, quo pertinet PERSIVS Sat. V. 186: *l*)

Hinc grandes Galli, & cum Siſtro luſca Sacerdos.

Tym-

re videtur Sacerdos antiqua Aegyptia femina, Siſtrum manu tenens, quod adfirmare nolo, cum eruditiſſimus Winckelmannus, adhibito exactiſſimo veterum monumentorum examine, Siſtrorum Aegyptiorum antiquitatem negaverit.

k) De diverſis Siſtrorum generibus uſibusque, ut de re nota, non longius diſputabo, præcipue cum optime de hac re in ſingularibus ſcriptis egerint viri eruditiſſimi Bacchinus & Tollius.

l) Commentatores dicunt, Iſidis Sacerdotem luſcam vocari, vel ob mores, vel quia tantum deformes ſe cultui Deæ conſecrabant; alii exiſtimant majorique jure, hic reſpici ad Ophtalmiam, apud Aegyptios valde communem, & quam Iſis immittere cenſebatur, ſecundum Anthologiam 2. 22. Juvenalem Sat. 13. & alios plures. Conferendus autem hic præcipue Perſius

Digitized by Google

Tympana in Oriente omni tempore uſitata, & quæ ex Aegypto ad cognata, Cybeles & Bacchi ſacra tranſiere, in Iſiacorum manibus ſœpe, in Præneſtinis Herculanenſibusque monumentis occurrunt. *m)* Fuere autem iſta ſimilia illi inſtrumento, quod *Tambour de Basque* vocamus, conſtabant ex pellibus extenſis, manu plerumque pulſari ſolitis.

Crotala quoque Aegyptiorum HERODOTO in ſolennibus hujus gentis memorantur, & occurrunt in monumento apud Comitem DE CAYLVS I. 3. 3. Hæc ex duabus conſtabant lamellis, mutuo contactu vocaliorem ſonum edentibus. *n)*

Sed

Bernæ Helvet. A. 1765. a Clar. Sinnero vulgatus, ejusmodique notis contra conſuetum Interpretum morem explanatus, ut in iis ſolidiſſima eruditio ac ſimul amœnum clariſſimi Auctoris ingenium eluceat.

m) Epiphanius Adv. Hær. T. II. 1093. *Adhæc ſi Memphiticas & Heliopolitanas mulieres Orgia celebrantes perſequar, quæ Tympanorum ac Tibiarum ſtrepitu ſe ipſas exſtimulant.*

n) Salmaſius ad Vopiſcum.

Digitized by Google

Sed Aegyptii Sacerdotes non modo Inſtrumenta habebant Muſica, quæ pulſanda trahendave fuere, verum & alia, quæ inflare ſolebant; ſic enim ſcribit APVLEIVS Metam. XI. *Ibant & dicati magno Serapi Tibicines, qui per obliquum calamum, ad aurem porrectum dextram, familiarem Templi Deique modulum frequentabant.*

Tibiam hanc recurvam, quæ Aegyptiæ originis fuiſſe videtur, Sacerdotes in Herculanenſibus Picturis inflant; Scriptores vero nonnulli illam perperam cum Tibia, cui ſonus a latere immittitur, (*Flutte Traverſiére*) confundunt; de qua, ut de præcipuis ſacræ Aegyptiorum Muſices inſtrumentis, optime egit Clar. Abbas BARTHELEMI. *o*)

Tertia quoque Tibiæ ſpecies, in ore Sacerdotum Aegyptiorum, in recentioribus monumentis occurrit, Tibia illa duplex, quam in Romano Lapide, apud MONTFAVCONIVM 2. 125. Aegyptius Vates inflat, Anſeris adſtans ſacrificio. *p*) Eadem apud Comitem

o) *Explication de la Moſaique de Paleſtrine*, p. 22.

p) Tibiam duplicem inflat Mulier Aegyptia in

mitem de Caylus V. 23. utitur Puer, Pileo patriam Aegyptum; nuditate phalloque convenientiam cum Oſiridis ſacris declarans.

Et cum de Inſtrumentis Muſicis Aegyptiorum occaſione ſacræ Symphoniæ diſputem, obſervandum videtur, Scriptorem Epiſtolæ, *Lettre de M. à M. ſur quelques Monumens d'Antiquité*, pag. 17. *q*) contendere, Vas Aegyptium, apud Illuſt. Com. de Caylus 2. 2. vulgatum, eſſe antiquum Muſicum Aegypti Inſtrumentum, cui ſententiæ non poſſum accedere. Veroſimilius mihi eſſet, dubium tamen, ſingulare & nondum deſcriptum Muſices Aegyptiorum inſtrumentum in Tabulæ Iſiacæ ſecundo ſegmento Apidi adpoſitum occurrere. Forſitan aliud inflatile

Navigatione ſacra, apud Comitem De Caylus 1. 3. De variis autem Tibiis Veterum legendi ſunt Meurſius & Bartholinus, in ſingularibus hac de re editis ſcriptionibus; de duplici Tibia maxime conſuli meretur Daceriæ commentarius ad Andriam Terentii.

q) Pariſiis 1758. 8. Conf. *Journal des Sçavans, & Mercure de France, Avril, 2. Vol.*

Digitized by Google

flatile inſtrumentum conſpicitur apud POCOCKIVM 108, in manu Sacerdotis; quo etiam pertinere videtur Organum ſacri Miniſtri apud MONTFAVCONIVM 2. 51. *Suplem.*

Hic quoque expendendus videtur peculiaris locus de Muſica Sacerdotum Aegyptiorum, qui exſtat in Libro de Elocutione, DEMETRIO PHALEREO vulgo tributo, cujus Scriptor, Aegyptia utique gente oriundus, pag. 253. Edit. Oxon. ita loquitur: *In Aegypto Sacerdotes etiam per ſeptem Vocales, quaſi hymnis Deos celebrant; dum eas ordine continuo ſonant; & apud ipſos, loco Tibiæ & Citharæ, litterarum harum ſonus auditur, ob vocis ſuavitatem.*

GALEVS in commentariis ad hunc locum, JABLONSKIVS in Prolegomenis Panthei, & præcipue Clar. GESNERVS in Diſſertatione *de Laude Dei per ſeptem Vocales*, r) ex multis veterum locis, & ex intimis ar-

M canis

r) Comment. Societ. Reg. Gœttingenſis, T. I. 245.

canis ſacræ Aegyptiorum, Pythagoræorumque Muſices, probaverunt, Sacerdotes Aegyptios ſingulis Planetarum orbibus Vocales quasdam litteras adſcripſiſſe, illasque in eorum honorem in Canticis exprimere, ac in Gemmis inſculpere conſueviſſe. Quo etiam referendus ille apud Lvcianvm, *s*) qui ait, *ſe in Aegypto Memnonem audiviſſe, non vulgari illo modo, quo & alii audirent, ſonum quendam informem fundentem; ſed oraculum ab eo ore aperto ſeptem Vocalibus,* (ad verbum ſeptem Verſibus Ἔπεσιν) *editum.*

Si hæc perpendo; ſi Memnonis Statuam contemplor nullo ornatam inſigni, quam illo capitis tegumento, quod Sacerdotibus ſolenne eſt; ſi manus ejus intueor ſacrorum Miniſtrorum more modeſte & decenter genubus impoſitas; ſi cogito illum quovis mane Solem ſalutaſſe; ſi Oracula ab eo edita conſidero, quæ omnia Sacerdotibus Aegyptiorum,

s) In Philopſeude. Addendum obſcurias Oraculum apud Euſebium Præp. Evang. V. 14 & quæ hac de re commentatus eſt Cl. Jablonskius in Diſſ. de Memnone Aegypt. p. 69.

rum conveniunt, in eam fere delabor ſententiam, obſcuriſſimam hanc Statuam nobis forte antiquum Aegyptium Sacerdotem repræſentare, divinitus, ut fingebant, inflatum.

Antequam vero concludam, adſcribenda verba PLATONIS ex Dial. 2, de Legibus: CLIN. *Quo autem pacto in Aegypto hanc Legem ſancitam eſſe dicis.* ATH. *Mirum hoc quidem auditu eſt; nam id olim, ut mihi videtur, illi cognoverunt, oportere, quod nunc nos diximus, in civitate juvenes bonis figuris, & bonis cantibus adſueſcere. Quæ vero & qualia ſint hujusmodi, in ſacris ab eis eſt inſtitutum, ac præter illa neque pictoribus, neque aliis figurarum, vel quorumcunque artificiorum fabris nova ulla licebat inducere, neque etiam excogitare alia, præter patria; neque hodie licet aut in his, aut in univerſa Muſica. Itaque ſi obſerves, invenies ibi, quæ decem annorum millibus retro depicta, formatave, quomodocunque fuerunt, quaſi non adeo vetuſta ſint, ut ita dicam, neque pulchriora, neque turpiora his, quæ hodie depinguntur, ſed eadem arte confecta.* CLIN. *Mirabile auditu eſt,*

 quod

quod dicis. ATH. *Imo civile nimium, maximeque Legum poſitioni conveniens. Invenies ibi alia quædam levia, ſed hoc circa Muſicam verum eſt, dignumque animadverſione, quod videlicet poterat de rebus hujusmodi certa ſtabilique lege caveri, & legum latorem auſum fuiſſe concentus tales, qui natura rectitudinem exhiberent, inducere. Quod quidem aut Dei, aut divini alicujus viri opus eſt. Quemadmodum & ibi ferunt antiquiſſimos illos apud eos concentus Iſidis eſſe poëmata. Quam ob rem, ut dicebam, ſi quis quoquo modo iſtorum poſſit rectitudinem intelligere, ei audendum eſt hæc ad ordinem legemque reducere; nam nova ſemper circa voluptatem & dolorem adpetitus ipſius adfectio, quæ quidem nova ſemper Muſica uti ſtudet, haud magnam fortaſſe vim habet, ut eas choreas vetuſtatis incuſatione corrumpat, quæ ſunt ſacris legibus conſtitutæ. Nempe Aegyptiorum choreas nequaquam tanto tempore corrumpere potuiſſe videtur, ſed contra omnino.* t)

ΣΦΡΑ-

t) Egregius & dignus qui perpendatur locus, præcipue, quia ex eo adparet, Aegyptios, quod hodie illis ſimillimi Sinenſes faciunt, in omnibus, & maxime in Artibus, ex antiquitatis

Digitized by Google

ΣΦΡΑΓΙΣΤΑΙ, *Sacerdotes Aegypti Superioris Ordinis, Victimas ſigillantes.*

Inter Aegypti Sacerdotes memorandi etiam ſunt illi, quorum officium erat, Victimas, antequam Diis offerrentur, diligenter examinare, ut iis, quæ ad ſacrificia aptæ eſſent, ſigillum, quo aris deſtinabantur, imprimerent.

De his ita ſcribit PLVTARCHVS de Iſide p. 363. *Vitulum, qui immolandus eſt, ſigillo impreſſo notabant Sacerdotes certi, qui Σφραγιςαὶ vocabantur; Sigilli ſculptura exprimebatur, ut Caſtor perhibet, homo in genua deſidens, manibus poſt tergum reductis, jugulo enſe imminente. u)*

M 3 De

Patriæque ſummo amore, veteres ſuos modos ſine ulla immutatione religioſiſſime ſerviliterque ſervaviſſe; unde quoque una ex rationibus petenda, ob quas iſti Artium inventores progreſſu temporum fere ſemper in eodem gradu ſine ulla elegantiore perfectione manſerint, qua in re ab audacioribus felicioribusque Græcis victi ſuperatique fuere.

u) Veſtigia heic deprehendo antiquorum Sacrificiorum humanorum.

De horum officio ſic quoque loquitur Herodotvs 2. p. 103. *Bovem ſi fuerit omnibus mundus*, Sacerdos, *Byblo cornibus alligato notat; x) dein adplicans terram ſigillarem annulum imprimit; & ſic abducunt, nam immolanti eo ſigillo non notatam pœna mortis ſancita eſt. y)*

Ad quem locum obſervare ſufficiat, Clar. Kirchmannvm in ſingulari, quem de Annulis conſcripſit, Libro, ex Genes. 41. 42. aliisque rationibus, Annulorum in Aegypto antiquitatem adverſus contra ſentientes demonſtraviſſe; ſimulque oſtendiſſe uſum vetuſtum Cretæ in rebus obſignandis, quam Herodotvs per Γῆν Σημαντρίδα indicavit.

Quam

x) Mos Victimarum cornua Byblo ſignandi aliquo modo conferri poteſt cum Victimis Veterum vittis & infulis, ſœpiſſime & ſertis circa capita cinctis.

y) Exiſtimavi olim, forte Sacerdotem, a Comite de Caylus V. 19. vulgatum, manu tenere inſtrumentum ad obſignandas victimas; ſed Herodotus, qui annulorum mentionem facit, hanc conjecturam videtur evertere. Majori itaque jure in ſequentibus hunc Sacerdotem referam ad Sacros Miniſtros, thura ſuffitumque Diis offerentes.

Digitized by Google

Quam neceſſaria fuerit hæc Victimarum obſignatio, jam patet ex HERODOTI auctoritate; quanta vero cura & quanta cum ſolertia illa adhibita, conſtat ex loco CHÆREMONIS apud PORPHYRIVM de Abſtin. pag. 366. z) quem adſcribendum eſſe judicamus: *Circa talia*, Victimarum munditiem ſpectantia, *Artis inſolentia eousque progreſſa eſt, ut de illorum ſcientia, qui Vitulorum Sigillatores vocantur, integri libri conſcripti ſint.*

Ubi obſervandum duco, ſecundum CHÆREMONEM non modum quidem victimas obſignandi, ut multi perperam voluerunt, locum dediſſe iſtis voluminibus, ſed præcipue ibi explicatas fuiſſe notas adhibendas in examine victimarum, antequam illas obſignare licebat. Conſtat porro ex hoc loco, & ex præcedentibus, hunc ritum præcipue vitulos immolandos ſpectaviſſe, cujus rei rationem data occaſione explicabimus.

z) Ejusdem rei mentionem facit Clem. Alexandrinus, *Stromat.* 6. dum ait, Στολιστὴν cognoſcere debuiſſe ea, quæ ad Vitulorum obſignationem pertinent, unde adparet, hoc officium ſacris Miniſtris ſuperioris ordinis tributum fuiſſe.

Heic in tranſitu dicendum videtur, apud omnes fere ſuperſtitioſas vetuſtatis gentes locum habuiſſe morem, quo homines ſibi in Deorum honorem ſtigmata imprimebant, inurebantque; quam conſuetudinem Clar. Spencervs in Secundo de Legibus Hebræorum Libro multis illuſtravit; ſed reſtat quæſtio de origine hujus ritus. An is forte derivandus a more victimas Diis obſignandi, hocque modo devovendi? Obſcura eſt hæc conjectura, minime tamen controverſa videtur convenientia inter ſtigmata hominum Diis conſecratorum, & obſignationes Victimarum Numinibus oblatarum. *a*)

Diximus, Sacerdotes, antequam Sigilla victimis imprimerent, ſumma cura inquiviſſe,

a) Hac de re minus dubitarem, niſi ſcirem, ſtigmata aliquando apud Veteres, ſœpe apud ineptos quosdam recentiores, fuiſſe ſuperſtitioſas corporis adflictationes. Ceterum de hoc argumento multa curioſa quidem, ſed ridicula, anili judicio congeſta legi queunt in Theoph. Raynaudii Soc. I. ſcripto de Stigmatiſmo ſacro & profano, divino, humano, dæmoniaco, Gratianopoli, 1647.

Digitized by Google

viſſe, an illæ ad ſacrificia aptæ eſſent; repudiabant itaque, auctore PORPHYRIO de Abſtin. pag. 366. gemellos, *prodigioſa, maculoſa, formam variantia, ad humanam ſimilitudinem accedentia, b) domita & jam conſecrata labori, altero membro deſtituta; c) honoratisque beſtiis ſimilia.*

Hoc ultimum, niſi nos omnia fallant, præcipue de Bobus immolandis intelligendum, quos, ſi pilorum albore nigroreve vel minimam cum Apide habebant cognationem, ad ſacrificia ineptos judicabant; id enim diſerte PLVTARCHVS teſtatur, de Iſide pag. 363, & HERODOTVS 2. pag. 103. dicendo: *Boves Mares Epaphi eſſe ſtatuunt, eaque de*

b) Ex hoc & mille aliis exemplis adparet, ſuperſtitionibus deditam antiquitatem in omnibus illis, quæ paullulum extra vulgarem naturæ ordinem fuere, religioſi quid latere exiſtimaviſſe.

c) Conferenda vitia ſimilia, Victimas ab Aris arcentia, apud pleraſque vetuſtas nationes, & præcipue apud Judæos Deuteron. 17. Levit. 22. quibus gentis iſtius Magiſtri, Miſna & Gemara, innumera addidere alia.

Digitized by Google

cauſa hunc in modum eos explorant, ſi pilum nigrum adeſſe vel unum viderint, nequaquam mundum cenſent; explorat autem hæc Sacerdotum aliquis ad id conſtitutus, pecude tum ſtante erecta, tum etiam reſupinata.

Illud ſolum addendum videtur in legibus de victimarum notis antiquiſſimam ſine dubio hanc fuiſſe, ne Diis offeratur beſtia, quæ ſacris illius regionis animalibus, ex certis inſignibus agnitis, ſimilis videbatur. Poſterioribus temporibus præcipue acceſſit illa, ne Numinibus mancum ac labe conſpicuum fieret ſacrificium. Reliquæ plurimæ hac de re Sacerdotibus receptæ obſervationes temporum progreſſu numero crevere, & a prima ſimplicitate ad leviſſimas ridiculasque minutias deflexerunt, quas ſuperſtitio exquirere ſectarique ſolet.

Sacer-

Sacerdotes Aegyptii curam gerebant ſacrorum Animalium, ac ſæpius illorum Inſignibus ornabantur; ii vero nonnunquam ſuperioris, aliquando & inferioris fuere ordinis.

Cum maximam Aegptiacæ Religionis partem effeciſſet Cultus Animalium, quæ ſpectabantur ut ſpirantes Numinum Imagines, accidit, ut ex præcipuis Sacerdotum Aegyptiorum muneribus fuerit cura ſuſtentatioque conſecratorum iſtorum animalium, ubi unumquodque Collegium eas nutriebat beſtias, quæ Deo, cujus miniſterio ſe dicaverat, ſacræ fuere. *d*)

De

d) Aegyptii perſuaſi fuere, Belluas, quamvis maxime noxias, Sacerdotes nunquam lædere; auctoribus Luciano in Philopſ. T. III. 60. aliisque Scriptoribus; quæ res maxime inde explicanda, quod ſuperſtitioſa iſta gens ſacris ſuis miniſtris egregiam ſanctitatem, magicas Artes, viresque natura ſuperiores tribuere ſolebat.

Digitized by Google

De Cura Sacrorum Animalium multa, ad nos nunc non pertinentia, protulit Herodotus Lib. II. p. 113. multa Diodorus Siculus pag. 93. De functionibus vero Sacerdotum apud Apidem plurima a Jablonskio conſcripta ſunt, illuſtrataque ex Bembina Tabula, ubi ſacri Miniſtri cum hoc Tauro occurrunt; ibidem quoque alii Sacerdotes conſpiciuntur variis Animalibus, veluti Leonibus, Arietibus, Accipitribus, Scarabæis cultum exhibentes. Nos vero heic Aeliani locum præcipue adſcribendum exiſtimamus, qui Hiſt. Anim. Lib. VII. Cap. 9. ſequentia, ſententiam noſtram de Sacerdotibus, Deorum ſuorum Animalia colentibus, confirmantia habet verba. *e) Nonnullos Apollinis in Aegypto Sacerdotes* Ἱερακοβοσκὲς *vocari aiunt, & hos Accipitrum iſtius Dei nutritios curatoresque eſſe. Omne quidem harum Avium genus*

e) Mutavi pauca quædam in hoc loco, qui mendoſus videbatur. Notiſſimum eſt ex pluribus Antiquorum monumentis, Apollini conſecratos Accipitres, in Aegypto dum vivebant, cultu reverentiaque, poſt obitum pretioſa honoratos fuiſſe conditura.

genus hoc Numini dicatum; ſunt tamen ibi Accipitres quidam, qui ſpeciatim accurato aluntur victu; ſic, ut a conſecratis Deo muneribus nil differre videantur. Harum igitur Avium nutritii ſingulorum nidos oſtendunt ignaris, in quibus eas parere aiunt, nam in ſacro aluntur luco.

Iſti Sacerdotes ſacrorum Animalium cultores in monumentis & pompis occurrunt conſecratarum beſtiarum capitibus ornati; *f*) quod probare videtur DIODORVS SICVLVS p. 93. dicendo: *Munia vero hæc*, Animalia ſacra nutriendi, *non tantum non declinant, aut propalam obire erubeſcunt, ſed e contra ceu maximis Deum honoribus ſe his oſtentant, & peculiaria per urbem & agros inſignia circumgeſtant; g) unde procul agniti, quorumnam animalium*

f) Sacerdotes Animalium cultores aliquando in monumentis Aegyptiis baculos cum capitibus ſacrarum beſtiarum circumgeſtant, quod ex Muſæo Capitolino, Tabula Iſiaca, ex Præneſtino Teſſellato Pavimento, & ex pluribus anaglyptis patet operibus.

g) Hinc explicanda ſunt Capita illa majora ſacrorum Aegypti animalium, quæ ſœpiſſime in ea regione inveniuntur, inferiore ſua parte ca-

malium curam agant, flexione genuum alioque cultu ab omnibus honorantur.

Inſignia hæc Sacerdotum conſecratorum animalium nutritorum ſuere beſtiarum exuviæ, quibus perſonati pompas celebrabant, quod conſtat ex Apvleio, apud quem plura ſunt huc facientia loca, quorum luculentiſſimus exſtat Metam. XI. *h*) ubi hæc leguntur: *Sed Antiſtites ſacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectoralem adusque veſtigia injecti, potentiſſimorum Deorum præferebant inſignes exuvias.*

Per has inſignes exuvias intelligo Larvas, Capita Pelleſque ſacrorum Animalium, quas Sacerdotes in Pompis induere ſolebant. Si monumenta evolvimus, videmus in illis ſæpiſſime Deorum Miniſtros cum capitibus ſacrorum

crorum

va vacuaque, ut baculis iſtis Sacerdotum inſigi potuerint.

h) Idem Apuleius Metam. XI. p. 201. ita loquitur: *Nec mora cum Dii dignati pedibus humanis incedere*, Sacerdotes Numinum inſignibus ornati, *prodeunt; hic horrendus ille ſuperum commeator & inferum* — Ubi Beroaldus confert Tertullianum, qui ait, *Ipſos Deos veſtros ſæpe noxii induunt.*

crorum animalium, quorum cultui ſe devoverunt. Diſſimulari quidem nequit, multos antiquarum rerum peritos exiſtimare, has figuras non Sacerdotes, ſed Deos ipſos repræſentare, humano corpori capita belluarum Aegyptio more juncta gerentes, quod de quibusdam verum videtur, præcipue cum PORPHYRIVS de Abſtin. 372. EVSEBIVS de Præp. Evang. p. 93. & plures alii veterum Scriptorum adſerant, Aegyptios Deorum imagines ex animalium hominumque junctis formis repræſentaſſe, ut Anubin cum capite Canis, cum Arietis capite Ammonem depingerent. Sed quando in Tabulæ Iſiacæ Limbo, & in monumento Aegyptio a Cl. MARTIN vulgato, *i)* viros contemplor cum capitibus Accipitrum, Luporum, Canumque, Sacerdotum inſtar in genua procumbentes, concludo, heic ſacros repræſentari miniſtros, ut in omnibus illis Aegyptiis monumentis, ubi capita animalium impoſita ſunt viris, qui aut ex corporis habitu, aut ex feminalibus, aut ex Perſea, aut ex aliis rationibus ad Sacerdotes pertinere videntur varia-

i) *Explication de divers monumens ſinguliers*, p. 144.

variarum beſtiarum in diverſis provinciis cultores nutritoresque; de qua re optima certiſſimaque protulit Ill. Comes DE CAYLVS, in cujus ſcriptis Sacerdotes cum capite Leonis occurrunt Tom. IV. 5. 7. cum Felis capite, V. 6. cum capite Ibidis, III. 6. V. 12. cum capitibus Accipitrum Tom. IV. 5. V. 23. Apud eundem Vol. V. 8. Sacerdotes cum capitibus animalium conſpiciuntur in ſacris Pompis, qui Scarabæum, k) & Serpentes venerantur; ſed ibidem N. 9. alii Sacerdotes religioſiſſime obſervant viros, qui animalium capitibus inſtructi ſunt, quod etiam in Obeliſcis videmus, ubi viri ſe coram aliis proſternunt, qui capita habent Avium. Ad quem difficilem nodum explicandum adhibebimus ea, quæ antea ex Diodoro Siculo produximus, ubi legimus, Sacerdotes, cum Deorum ſuorum inſignibus progredientes, ab obviis ſubmiſſis genubus ceteroque cultu honoratos fuiſſe.

k) Scarabæo a Sacerdotibus feminis videtur cultus exhiberi apud Montfauconium II. 155. & Com. de Caylus T. IV. 3. 1.

SACER

Digitized by Google

SACERDOTES AEGYPTI INFERIORIS ORDINIS.

PASTOPHORI.

De Sacerdotibus Aegypti ſuperioris ordinis, illorumque officiis ac inſignibus ea protulimus, quæ Veterum ſcripta, ſedulaque Monumentorum inſpectio nos de obſcuris iſtis rebus docere poterant; pergimus ad ſacros inferioris dignitatis Miniſtros.

CHAEREMON apud PORPHYRIVM de Abſtin. L. IV. cuius egregium de Sacerdotibus Aegypti locum ſœpius ad partes vocavimus, inter ſacros Miniſtros minoris ordinis primos nominat *Paſtophoros*, dicendo: *Atque hic ſane philoſophandi modus vere receptus fuit Prophetis*, Ἱεροςολιςαῖς, *ſacris Scribis*, *&* *Horologis. Turba autem reliqua Sacerdotum, ac* Παςοφόρων, *&* Νεωκόρων, *Diisque ſubminiſtrantium, purificatur quidem ſimiliter, non tamen ita accurate, nec tum tanta continentia.*

Sed non modo ex iſto CHAEREMONIS loco, verum & ex pluribus aliis rationibus

probare poſſumus, *Paſtophoros* inter Aegypti Sacerdotes non primum ordinem conſtituiſſe. Huc nos ducit Horapollo i, 39. dicendo: *Paſtophorum repræſentare volentes domus cuſtodem pingunt, quod ab eo Templum cuſtodiatur. l*) Ex quo adparét, *Paſtophoros* fuiſſe ſacrarum ædium rerumque cuſtodes, paulo maioris ordinis, quam Templorum Aeditui, quos Chaeremon illis proxime iunxit.

De inferiore dignitate horum Sacerdotum auctorem etiam habeo Diodorvm Sicvlvm, qui Lib. i. pag. 34. ait Eumolpidas Athenienſium ab Aegyptiis Sacerdotibus, & Κήρυκας a *Paſtophoris* translatos fuiſſe, ubi ſacros Miniſtros primi ſecundique ordinis diſtinguit; Eumolpidæ enim in Eleuſiniis ſacris fuere Myſteriorum principes, Prophetis Aegypti ſimiles; Κήρυκες vero, & illi, qui faces præferebant, fuere multo minoris dignitatis. *m*)

Cle-

l) Ex ſequentibus conſtabit, neque illos, qui *Paſtophoros* heic Pallium Sacerdotale ferentes vertunt, neque eos, qui emendant Παςόφρϐρϐς, rem rite tetigiſſe.

m) Meurſius de Eleuſin. Iſaacus Caſaubonus in Comm. ad Athenæum,

CLEMENS ALEXANDRINVS Stromat. VI. *Paſtophoros* etiam omnibus aliis Aegypti Sacerdotibus ſcientia ordineque poſtponit, dum ait: *Sunt itaque duo & quadraginta Libri Mercurii admodum neceſſarii, ex quibus ſex & triginta, qui continent omnem Aegyptiorum Philoſophiam, diſcuntur ab iis, quos nominavimus;* (Cantore, Horoſcopo, ſacro Scriba, *Stoliſta*, & Propheta,) *ſex reliquos ediſcunt Paſtophori, pertinent autem ad Medicinam; nempe de Anatomia, de Morbis, de Inſtrumentis, de Medicaminibus, de Oculis, de Mulieribus.* n)

Non adſentimur illis, qui, ope præcipue laudati Auctoris, contendunt, *Paſtophoros* fuiſſe unice Sacerdotes Medicos; quamvis non negemus, quod etiam ex hoc loco adparet, Medicinæ artem ab hoc Sacerdotum ordine præcipue tractatam fuiſſe; mirum vero non eſt, cum ſacri Aegyptiorum Miniſtri iſtorum Medici fuerint, accidiſſe, ut in

 anti-

n) Diligenter a Clemente diſtinguuntur ſex & triginta Libri ſublimiorum ſcientiarum ſuperioris ordinis Sacerdotibus tractandi, ab iis, qui Miniſtris minoribus legendi fuere.

Digitized by Google

antiqua medendi arte tot ſuperſtitiones locum habuerint, *o*) quorum plurima veſtigia, novo diligentique examine digna, poſt tot ſæcula, hodie ubique ſuperſunt, in iis præcipue medicaminibus, quæ ob aliquam remediorum cum læſis partibus cognationem Sympathiamque adhibentur. Huc pertinet

o) Addemus heic locum Epiphanii Adv. Hær. III. pag. 1092. qui facit tum ad probandam ridiculam ſuperſtitioſamque Aegyptiorum Medicinam, tum ad explicandam Bachanaliorum originem. *Sunt & apud alios*, inquit ille, *Sacra quædam iſtiusmodi, velut qui in Butica Præfectura, adeoque Buti oppido Harpocratem nutriunt, confecta jam ætate ſenes, qui ſolenni die & ipſis Calendis veſanas ac furioſas Hori cærimonias Dæmonis œſtro perciti celebrare coguntur; tum enim cives univerſi ac vel decrepiti ſenes, cum adoleſcentibus iisdem moribus præditis, ac reliquis ætatibus iam tum ab ipſa pubertate, Hori videlicet & Harpocratis Sacerdotes detonſo capite, ſervilem,* δȣλικὸν, *& abominandam ac puerilem ſpeciem ſine ullo pudore circumferunt; tum vero ludicra quædam obeunt, ac ſeſe prudentibus, qui ſe ipſos a ſervitute Dæmonis aſſeruerunt, deridendos præbent; nam vecordes, nec ſui compotes, ac ridicule deformati præcipites feruntur. Primum enim polenta ac ſimila, aliisque id genus confectis eduliis faciem oblinunt, vultu in fervens caldarium immerſo, eaque ſpecie ad conciliandum ſtuporem vulgum illedunt, & quibusdam furiis agitant; tum & facie manu deterſum quidpiam ad ſanitatem recuperandam, atque ægritudinum remedia poſtulantibus impertiunt.*

Digitized by Google

tinet etiam frequens Amuletorum uſus, quæ ex ſacris parabantur Plantis, auctoribus PLINIO, APVLEIO de Viribus Herbarum, & DIOSCORIDE in Nothis; hæc oriente Sole, aut Sirio, creſcente Luna, hac potius quam illa legebantur manu, barbaris conſecrata vocabulis; horum ope infirmi Aegyptii, quos innumeri alii ſecuti ſunt, exiſtimabant morbos pleroſque levari poſſe, averti invidorum oculos, fugari, quibus orbem refertum putabant, Dæmones, & quæ plurima eiusmodi dicebantur, credebanturque ſtultiſſime, erantque ſummæ levitatis atque futilitatis.

Teſtibus quoque Veteribus ægroti in Templis Aegypti ſomnum capiebant, *p*) tunc curationes per ſomnia immittebantur; Sacerdotes evolvebant arcanos ſuos libros, ibique ægre decumbentis futuram ſortem inveniebant. Omitto alia multa, quæ demonſtrant Aegypti Sacerdotes fraudes æque ac ſuperſtitiones ſuas, Medicinæ, ut omnibus ſcientiis, pro more ſuo immiſcuiſſe. *q*)

p) Meibomius de Incubatione in Fanis Deorum Medicinæ cauſa olim facta.

q) Fraudulentiſſimas iſtas vanitates, quæ ubi-

Plvtarchvs *Paſtophoros*, de quibus heic loquimur, etiam ΙΕΡΑΦΟΡΟΥΣ vocat dicendo *r*) *Iſis — res divinas demonſtrat iis, qui revera & rite* ΙΕΡΑΦΟΡΟΙ & ΙΕΡΑΣΤΟΛΟΙ *adpellantur.* Sic vero dicebantur a ſacris geſtandis; quod nos jam ducit ad inveſtigationem Vocabuli *Paſtophori*, munerumque inde pendentium, qua in re præcipue Cl. Cvpervm ſequimur, in cuius Harpocrate hic locus pluribus verbis explicatus eſt.

Ex ſententia eruditiſſimi iſtius Scriptoris *Paſtophori* nomen derivandum a Παςὸς, Παςὰς, *s*) vocabulo, quod Thalamum, Aediculam,

que plurimis ſæculis valuere, non ſoli Paſtophori, ſed & multo majoris dignitatis viri, Magi, Prophetæ Aegyptiorum exercuere. Magia enim, antiquum Aegyptiorum inventum, imperioſiſſimas tres Artes, ut cum Plinio loquar, complexa eſt, blandiſſimam deſideratiſſimamque Medicinam, auguſtiorem ſuperſtitionem, ad quam humanum genus maxime caligat, artesque Mathematicas, nullo non avido futura de ſe ſciendi, atque ea a cœlo veriſſime peti credente.

r) De Iſide pag. 352.

s) Liceat heic pro ſententia Cuperi addere vocabulum Thalami, idem quod Παςὸς, ab

culam, Sacellumque ſignificat; ac deducendum eſt a Πάσσειν, quod variegandi notionem habet, quia ædiculæ iſtæ ſacræ, pictæ, calatæ, ornatus varietate diſtinctæ, auro argentoque inductæ fuerunt. *Paſtophori* itaque nobis illi ſunt Sacerdotes, qui diebus ſolennibus Thalamos & Aediculas cum Deorum ſimulacris circumferre ſolebant.

Paſtophoros, CVPERI verba adſcribo, *Collegium conſtituiſſe teſtatur Apuleius XI. ſcribendo: Tunc ex his unus, quem cuncti* ΓΡΑΜΜΑΤΕΑ *dicebant, pro foribus adſiſtens, cœtu Paſtophororum, quod Sacroſancti Collegii nomen eſt, velut in concionem vocato.* — Eundem, quem vocat *quemdam de ſanctis linteis intectum, thyrſos & hæderas, & tacenda quædam gerentem*, t) mox nominat *unum de Paſtophoris.*

Aegyptiis tributum fuiſſe Sacellis Deorum. Solinus Cap. 32. *Delubra, quibus ſuccedebat aut incubabat Apis, myſtice Thalamos nominabant Aegyptii.* Et Aelianus H. An. XI. 10. *Apis initianti Antiſtitum numero centum inductus in Thalamum ſacer eſſe incipiebat.*

t) Comparanda ſuperius laudata Epiphanii verba, Adv. Hær. III. 1092.

Digitized by Google

Iterumque ſcribit, *ab Oſiri ſe receptos eſſe in Collegium Paſtophororum morum, imo inter ipſos Decurionum quinquennales;* ubi Paſtophoros videtur vocare Decuriones, quique iis præerant quinquennales, ita forte dictos a quinque annis, per quos Collegio Paſtophororum præerant. *u*)

Hucusque *Cuperus*, illud autem ſupereſſe video, ut ex Veterum ſcriptis monumentorumque fide declarem, Aegypti Sacerdotes ſœpe in ſolennibus Deorum ſuorum ſimulacra circumgeſtaſſe. Peroptaſſem, ordines quoque, qui ſine dubio in ſuperſtitioſa iſta gente inter Paſtophoros obtinuerunt, expedire, oſtendereque eum, qui hoc vel illo tempore, locove, hujus vel illius Numinis imagunculam prætulit, cæteris vel ſuperiorem vel inferiorem fuiſſe Sacerdotibus; ſed hoc argumentum ita obſcurum incertumque eſt, ut de eo ne conjectando quidem aliquid divinare queamus.

Apud

u) A *Paſtophoris* derivanda *Paſtophoria*, quorum mentio apud antiquos Scriptores, atque in Græcis occurrit lapidibus. Fuere autem illa ea Templi atria, in quibus *Paſtophori* habitare, resque ſacras cuſtodire conſueverunt, quod multis probavit Cl. Cuperus loc. cit. p. 130. 132.

Apud pleraſque vetuſtatis gentes ſimulacra Deorum in Pompis vel a beſtiis, vel ab hominibus trahebantur, collocata in thenſis curribusque; quod confirmat HERODOTVS, qui Lib. II. c. 63. de Papremitanis ſolennibus ita loquitur: *Simulacrum in parvo ligneo ſacello pridie in aliud habitaculum exportant, paucis illis, qui in miniſterio ſimulacri relicti ſunt, trahentibus plauſtrum quatuor rotarum, quo vehitur ſacellum cum ſimulacro, quod intus eſt.* x)

Sed hic non fuit conſuetus uſitatusque mos Aegyptiorum Sacerdotum, Deos ſuos circumgerendi; Aſtra enim, quae fuerunt eorum praecipua Numina, ratibus navibusque potius, quam currubus, vehi circumducique contendebant, quod PLVTARCHVS, de Iſide, luculenter docuit, & quod multis etiam probavit Cl. CVPERVS. *y)*

x) Ab Aegyptiis deducendus videtur mos plerorumque populorum Numina ſua in ſolennibus, laetis temporibus religioſisque, aeque ac in calamitatibus & bellis, in parvis ſacellis aediculisque circumferendi.

y) Harpocr. p. 14. Duplex praecipue occurrit ratio, ob quam Aegyptii Deos ſuos non cur-

Hæc vero omnia illuſtrari queunt tribus anaglyptis antiquis Aegyptiis operibus, a Clar. Pocockio z) vulgatis, quorum duo priora ex Thebarum ruinis, forte ex Oſymandiæ conditorio, deſumta ſunt. Ibi duodecim viri, totidem *Paſtophori*, navem baculis ſuſtentatam humeris portant, in cuius medio clauſum conſpicitur ſacellum; pone ſequente viro, qui malleum tenet.

In altero monumento octodecim *Paſtophori* navem geſtant, in cujus medio Deus, ſub huma-

rubus, ſed navibus vectos repræſentabant; prima inde deduci poteſt, quod Numina iſtius gentis magnam partem ad Nilum referenda; ſed hæc ratio parum firma videtur, quia non modo de Diis terreſtribus, & ad Nilum pertinentibus, ſed etiam de cœleſtibus ita ſentiebant. Vt enim Græci Apollinem Dianamque Equis, ſic Aegyptii Solem & Lunam navigiis ad motus ſuos uti exiſtimabant; idque, niſi fallor, quia antiquis temporibus hic fere ſolus modus fuit, quo Optimates in Aegypto circumire poterant, alveorum Nili copia Equorum curruumque, forte ne inventorum quidem uſum, vix permittente. Hæc ratio ſimpliciſſima eſt, ſed tales utique præfero, præcipue ſi de vetuſtioribus ſermo eſt temporibus.

z) Itin. T.I. p. 108.

Digitized by Google

humana figura conſpicuus, in arcæ quadam ſpecie ſedet; præeunte viro cum inſtrumento nobis ignoto, ſequente alio, cum eodem malleo.

Tertium tandem monumentum Deum ſedentem repræſentat in media navi, additis remis. *a*)

Si hæc omnia rite delineata forent, haberemus heic Inſignia Paſtophororum; nullum enim ſupereſt dubium, iſtos Sacerdotes ad hoc Collegium pertinere, ſed ipſe POCOCKIVS fatetur, ſe iſtorum imagines ex memoria tantum deſcripſiſſe, novum itaque, &, quantum fieri poteſt, adcuratum illorum diagramma ab Aegypti Peregrinatoribus efflagitamus. *b)*

Ad

a) Comparandum Sacrificium apud Ill. Com. de Caylus VII. 1. ubi vir Remum tenens, forte Paſtophorus, occurrit.

b) Sacella Deorum navibus Aegyptiis circumvecta occurrunt in Monumento hujus gentis vulgato primum a Cl. Martin in *Explication de divers Monumens ſinguliers*, & poſtea emendatius ab Ill. Com. de Caylus VI. 14. Comparandum etiam Vas Aegyptium haud abſimilis formæ, argumentique, apud Cl. Khell Supplem. ad Nummos Imperat. Rom. p. 24.

Digitized by Google

Ad *Paſtophoros* porro nobis referendi videntur illi, qui ſacrum Bovem humeris geſtant, apud Ill. Comitem de Caylus I, 7, *c)* de quibus ſic ſcribit Apuleius Lib. XI. *Erat & Bos omnipotentis Deæ ſecundum ſimulacrum, quod reſidens humeris ſuis proferebat unus e miniſterio beato greſſu geſtuoſo.* Huc etiam pertinet Claudianus de Quarto Conſul. Honorii 570:

— — — — Sic Numina Memphis
In vulgus proferre ſolet, penetralibus exit
Effigies, brevis illa quidem, ſed plurimus infra
Liniger impoſito ſuſpirat vecte Sacerdos;
Teſtatur ſudore Deum.

Sed Paſtophori Deorum imagines non modo Currubus, navibus, humeriſque circumferre ſolebant, verum etiam in parvis ſacellis, quæ coram ſe gerebant. *d*) Sic Sacerdos apud

c) Recte itaque Firmico apud Cuperum Harpocr. 132. Sacerdotes Aegyptii *divinarum bajuli dicuntur cærimoniarum.* Addendæ Notæ Caſauboni ad verba Lampridii in Vita Commodi, *Quum Anubin portaret capita Iſiacorum graviter obtundebat ore ſimulacri.*

d) Diod. Siculus Lib. 1. ait, apud Aegyptios in ſacra Pompa Jovis & Junonis ſacella in montem,

apud MONTFAVCONIVM *Ant. Expl.* 2. 140. 6. Deum in ſacello conſtitutum geſtat, in quo ſacro Miniſtro gravitatem illam, modeſtiamque deprehendo, quam in ejusmodi functionibus adhibere ſolebant, & cujus mentionem facit CHAEREMON apud PORPHYRIVM de Abſtin. 363 dicendo: *Sacerdotes Aegyptii — Deorum ſimulacris proxime ſemper adſunt, quæ aut ſecum ferunt, aut ante ſe præcedere cum ordine decoro & gravitate faciunt, quorum unumquodque non faſtus, ſed naturalis cujusdam rationis erat index. e)*

Ad hæc a Sacerdotibus circumgeſtata Sacella referenda ſunt loca AMOSI V. 25. &

omnis generis floribus inſtructum, a Sacerdotibus vehi conſueviſſe. Addendus etiam ſuperius citatus locus Herodoti. Non confundendi autem cum Miniſtris Deorum Sacella geſtantibus illi, qui Amuleta, aut officii ſui majora inſignia gerunt, de quibus alio dictum eſt loco.

e) Sacerdos Aegyptius Dei effigiem in parvo geſtat ſacello apud Ill. Com. de Caylus VI. T. 13. Sunt & ejusmodi ſigna in Kircheri Oedipo, ſed minime adcurata, ſic, ut citari nequeant. In Monumentis Aegyptio Romanis etiam mulieres Paſtophororum inſtar ſacras geſtant imagines.

Digitized by Google

& Act. Apostol. VII. 43, ubi hæc leguntur: Ἀνελάβετε τὴν Σκηνὴν τȣ̃ Μολὸχ, καὶ τὸ Ἄςρον τȣ̃ Θεȣ̃ ὑμῶν Ῥεμφὰν, τȣ̀ς τύπȣς, ȣ̀ς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς; quod a Cl. Jablonskio prætermiſſum fuiſſe miror in ſingulari illo libro, quo cultum Dei *Remphah* ex Aegypto deducendum contendit.

Addendus Clemens Alexandrinus Stromat. pag. 570, qui ait, *In iis, quæ vocantur* Κωμασίαι, (ſolennes Pompæ, de quibus poſtea agemus,) *aureas imagines, duos quidem Canes, unum Accipitrem, & Ibin unam circumferunt.* Si hunc locum inſpicio, & confero cum difficillimo obſcuriſſimoque illo Monumento Montfauconii ii. 109. 4, ubi juvenis, Sacerdotum minorum more veſtitus, Capitis ſingulari ornatu duos Canes circumgeſtat, in eam fere delabor ſententiam forſitan, res enim eſt incertiſſima, hunc eſſe ex *Paſtophororum*, ſacra animalia circumvehentium, collegio, quamvis ejusmodi ſimulacra manu potius, quam capite circumtulerint. *f*)

Paſto-

f) Conferendum Caput præcedens de Sacerdotibus Aegypti beſtiarum cultoribus, aliquando

Digitized by Google

Paſtophori aut forſitan *Neocori*, obſervantur in PRAENESTINO Teſſellato PAVIMENTO, ubi quatuor Sacerdotes humeris quadratam geſtant Tabulam, cui candelabrum impoſitum; de qua re optime egit Clariſſimus hujus Monumenti Editor, p. 21. g)

Ad *Paſtophoros* forte etiam aliquo modo referri poteſt ille Sacerdos, de quo in APVLEII deſcriptione Pompæ Iſiacæ hæc occurrunt: *Secundus manibus ambabus gerebat Altaria, id eſt, Auxilia*, (ſigna Auxilii Iſidis) *quibus*

cum illarum inſignibus conſpicuis; nam hi nonnunquam ex ſuperiore Sacerdotum ordine, alio vero tempore ex *Paſtophoris* deſumti fuiſſe videntur. Diſtinctio forte in eo ſita, quod nutritio Sacrorum Animalium fuerit officium miniſtrorum ſuperioris dignitatis, & illorum circumgeſtatio plerumque ad *Paſtophoros* pertinuerit. De Simulacris Numinum Aegypti ſuperſtitioſe per fraudulentos Sacerdotes circumlatis, addendus Servius Aeneid. VI. *Ξόανα dicit, i. e. Simulacra brevia, quæ portabantur in Lecticis, & ab ipſis mota infundebant divinationem, quod fuit apud Aegyptios & Carthaginienſes.*

g) Apud Nordenium 125 in primo Sigmento duo *Paſtophori* in ſacro proceſſu occurrere videntur.

Digitized by Google

bus nomen dedit proprium Deæ ſummatis auxiliaris providentia. h)

De ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙΣ.

Antequam a *Paſtophoris* diſcedam, diſputandum quoque videtur de ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙΣ, quorum mentionem facit Inſcriptio a Sertorio Vrsato Mon. Patav. 1. 7. & a Grvtero 84. 3. vulgata. *i)*

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΜΕΛΑΝΗ
ΦΟΡΟΣ ΤΗΝ ΚΟΝΙΑΣΙΝ
ΤΟΥ ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ
ΚΑΙ ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ
ΤΕ ΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΓ
ΚΑΥΣΙΝ ΤΩΝ ΤΙΡΩΝ, ſic pro ΘΥΡΩΝ
ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΠΡΟΣ ΜΟΧΘΟΥΣ
ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΙΧΟΙΣ
ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΝ ΑΥΤΟΙΣ ΣΑΝΙΔΑΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΙΣΙΔΙ
ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟΧΡΑΤΕ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΥ.

Cl.

h) Comparandus Montfaucon 2. 140. 8, ubi Sacerdos Aram forte tenet; niſi, quod veroſimilius videtur, ibi averſum aut clauſum repræſentetur Sacellum. Addendum ſignum Aegyptium rariſſimum apud Ill. Com. de Caylus IV. 3. ubi Sacerdos femina Aram ſuſtinet, in qua eminet Scarabæus, cui religioſus exhibetur cultus.

i) De hac Inſcriptione, & alia Veneta, quam

Cl. STEPH. LE MOINE, qui ſingulari ſcripto de iſtis egit, exiſtimat, hos Sacerdotes, forte eosdem, qui *Paſtophori*, ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΥΣ vocatos fuiſſe, quia nigrum Iſidis Velum ſacris circumgeſtabant diebus; vel, quod magis placet, quia nigris aliquando induebantur veſtibus. *k*) Adparet quidem ex ſuperioribus, Aegyptios, & plerosque vetuſtatis populos, album colorem Diis decorum putaviſſe, Sacerdotesque illorum talibus vulgo amictos fuiſſe veſtibus; ſed negari nequit, nonnunquam ſacros illorum Miniſtros Bellonariorum inſtar atratos inceſſiſſe. *l*) Auctor quoque nobis eſt SERVIVS ad VIRGILII Aeneid. XI. 287. Aegyptios Oſirin a Typhone interemptum atra veſte

Melanephori Oſiridi ac Iſidi dicavere, ut & de *Calybitis*, *Paſtophoris*, *Paſtophoriisque*, legenda eſt Steph. Le Moine Epiſtola de *Melanephoris*, Gisb. Cupero inſcripta, & cum illius Harpocrate vulgata.

k) Inquirant in hæc illi, qui Pompas Aegyptiorum coloribus depictas accuratius contemplari queunt.

l) Comparant nonnulli *Chemarim*, nigros, ut putant, Sacerdotes, quorum mentio in V. T.

veſte lugendo cæteris gentibus originem dediſſe in agnatorum obitu veſtes mutandi. *m*) In ſacris itaque Aegyptiorum ritibus, omnibusque fere Religionibus, quidam dies feſti gratique fuere, & cum effuſa celebrandi lætitia; alii vero triſtiores, lugubresque, *n*) pro variis Naturæ fatis, proque diverſa ſorte Oſiridis cœleſtis, ſeu Solis; terreſtrisque, ſeu Nili, cujus natales, mortemque alternis celebrant vicibus. *o*)

- - - *Nunquam ſatis quæſitus Oſiris.*

Pari

m) Plutarchus de Iſide 366. *Quando nox fit longior, tenebræ creſcunt, lucisque ſuperatur & tabeſcit vis, tunc Sacerdotes tum alios tetricos ritus exercent, tum Bovem auratum nigro byſſino amictu oſtentant in Luctu Deæ.* Conf. Comes de Caylus 1. 26. Monum. Præneſtinum Teſſellatum, atque Ibid. Cl. Abbas Barthelemi p. 21. ac Arca, in qua Oſiris incluſus, cujus mentionem facit Plutarchus l. cit.

n) Noti dies atri nefaſtique Ægyptii.

o) Ovidius. Hic pro varia ætate, fortunaque, nunc Iſidis maritus, nunc ejusdem filius nominatur. Mart. Capella L. 1. Lactantius de Vera Relig. 1. 21. Minutii Felicis Octavius, 21. Comparandi quoque Adonis, & *Thammus.*

Digitized by Google

Pari modo Apidem, Nilum, ut videtur, illis repræſentantem, nunc vel caſu, vel violenta morte ob fraudulentas Sacerdotum rationes interemptum, plangebant; paucisque diebus poſtea iterum lætitia ſeſe extollebant ob alium prioris loco a Sycophantis iſtis introductum. Sic ut jure meritoque illis, cum PLVTARCHO 370. de Iſide, dicere queamus: *Si Deum exiſtimatis, cur illum ploratis? Si ploratis, cur Deum eſſe putatis? p)*

COMASTAE.

Ea, quæ hucusque diſputavi de *Paſtophoris*, Sacerdotibus inferioris ordinis, Deos vel in arculis ſacellisque occultatos, vel propalam in ſolennibus circumferentibus, illuſtrant loca veterum de *Comaſiis*, *Comaſte-*

p) Comparandus Diod. Sic. Lib. I. qui de Sacerdotibres Ægyptiorum ſermonem faciens, hæc habet: Καὶ θρηνεῖν ἀνακλωμένους τὰ τῶν Θεῶν ὀνόματα. Comparandi lugubres Aegyptiorum Sacerdotum geſtus in antiquis monumentis. Comparandus Cl. Boulanger *Antiquité Devoilée* p. 93, *du ton triſte & lugubre, que l'on remarque dans les ſolennités, les fêtes, & les Jeux du Paganiſme.* Ubi de hoc argumento bona quædam multis malis, veroſimiliaque incertiſſimis mixta video.

riis, *Comaſtisque*, qui ultimi ſacri Aegyptiorum miniſtri fuere, proprie non diverſi a *Paſtophoris*, quod ſequentibus probare conabor rationibus. *q*)

Clemens Alexandrinus Stromat. VI. 567. hæc habet: *Jam vero in iis, quæ vocantur* Κωμασία, *Deorum aureas imagines, duos quidem Canes, unum Accipitrem, & Ibin unam circumferunt.*

Qui hæc cum præcedentibus comparabit, dubitare non poterit, Κωμασίας heic commemoratas eſſe ipſos illos feſtos dies, quibus Dii ſolenni circumferebantur Pompa; nomen autem habuere a vocabulo ΚΩΜΑΖΩ, quod ſignificat convivium celebrare cum ſumma lætitia, cantu, ſymphonia, ſaltationibusque, qualia fuere plura Aegyptiorum Orgia. *r*)

Eædem

q) De *Comaſteriis* Aethiopum, ab illis Aegyptiorum vix diverſis, conferendus Diod. Siculus p. 177. Ibid. Interpretes.

r) Conferendus Homerus Iliad. I. 423. Repetendus etiam locus Epiphanii ſuperius de Paſtophoris adlatus, qui late de Sacerdotum Aegyptiorum Bacchatione agit.

Digitized by Google

Eædem Pompæ etiam vocabantur ΚΩ-ΜΟΙ, auctore JOSEPPO in FABRITII Codice Pſeudepigrapho T. II. 330. qui ait : *In Aegypto JEBVNI Muſices Inſtrumentum eſt, quo Hieropſaltæ in* Κώμοις *utuntur.*

Ab his derivandi ΚΩΜΑΣΤΑΙ, Sacerdotes inferioris ordinis, cujus rei teſtem habeo SYNESIVM, qui pag. 94. de Provid. *s*) tradit, in Electione Regum Aegyptiorum ſingulos milites habuiſſe unum tantum ſuffragium; Sacerdotum vero auctoritatem hac in re fuiſſe maximam, ſic, ut Prophetarum calculus centum manus æquaret, *Comaſtarum* viginti, Neocororum decem. Vnde conficitur, Prophetas primum in eo ordine locum habuiſſe, his multo inferiores fuiſſe *Comaſtas;* infimos vero

s) Cl. Petavius in Commentariis ad hunc locum *Comaſtas* cum Epulonibus Romanorum contulit, diuturnitatemque conviviorum de feſtis Aegyptiorum probavit; melius ſane hac de re judicans, quam Cauſinus, qui in Scriptione de Symbolica Aegyptiorum Sapientia, 215, æque ac plures alii, exiſtimat, *Comaſteria* inde dicta fuiſſe, quod Dii per *κώμυς*, ſeu Vicos, circumferebantur. ΚΩΜΑΣΤΑΙ vulgo erant ſimpliciter Comiſſatores.

Digitized by Google

ro Sacerdotes comparuiſſe ſub Neocororum nomine.

Idem Synesivs pag. 73. ita loquitur: *Prophetæ Aegyptiorum non permittunt, ut metalli artifices, Sculptoresque, Deos repræſentet, ne a recepta abeant forma; ſed illudunt vulgo, dum in Templorum atriis Accipitrum, Ibidumque roſtra ſculpi curant, ſubeuntes interea ſacra ſubterranea, quæ profundis illorum Myſteriis velamento ſunt. Ibi* Κωμαςήρια *habent*, (alii, & forte non ſine ratione legunt Πωμαςήρια, Opercula) *in quibus globos ſervant, quos vulgus, ſi videret, ſuccenſeret, qui omnia communia ſpernere ſolet. t)*

Hæc jam lucem adferunt Apvleio, *u*) qui Metamorph. XI. in deſcriptione Pompæ

t) Cl. Martin *Explication de Monumens ſinguliers*. Idem in *Religion des Gaulois* L. IV. C. 10. ubi multa de hoc argumento docta occurrunt, præter illud, quod Bovem, in nummo antiquo obvium, notum Coloniæ inſigne, de *Comaſteriis* Matris Deum explicet.

u) Repetenda ea, quæ ſuperius de *Stoliſtis* diximus, qui in his Pompis cum *Paſtophoris*, *Comaſtisque* procedebant, quos tamen diverſos fuiſſe

pæ Iſiacæ hæc habet, pag. 201. *Quintus auream Vannum, aureis congeſtam ramulis, & alius ferebat Amphoram* — p. 202. *Ferebatur ab alio ciſta, ſecretorum capax, penitus celans operta magnificæ Religionis.*

Hæ Ciſtæ, ſacræ ac myſticæ Vanni, a *Paſtophoris, Ciſtophorisve* circumgeſtatæ, Orgiis Græcorum originem dedere, quæ res extra dubium poſita eſt, & a Cl. PANELIO demonſtrata in Diſſertatione de *Ciſtophoris*. In his apud Græcos, ut apud Aegyptios, Amphora, Hædera, & Membrum Virile *x*)

 cir-

autumo, quia Apuleius nominatim *Stoliſtas* diſtinguit a Sacerdotibus, qui Vannos & Ciſtas circumgerebant. Forſitan *Paſtophori* & *Comaſtæ*, ſibi quidem valde cognati, in eo tamen diſtinguendi, quod hi Deos in Arcis capſisque, illi in Thalamis, navibusque circumvexerint.

x) Apud Aegyptios, & fere apud omnes antiquas gentes repræſentatio genitalis membri, quæ noſtris moribus temporibusque turpis putatur, neque inhoneſta, neque indecora fuit, ſed ubique potius adhibita; erat autem maximam partem, uti & ovum, procreationis evidens ſignum. Conferendus Oſiris erecta virga, conferenda Pamylia, in antiquis Aegypti monumentis, & apud Plutarchum de Iſide.

Digitized by Google

circumgeſtabantur; in utrisque Bacchatio locum habuit.

Quod vero ad Ciſtarum memoratarum inventionem attinet, ſunt, qui exiſtimant, illas in ſacris adhibitas fuiſſe, quia olim primitiæ in illis offerebantur. Alii eas introductas arbitrantur, quia infantes ita ſervabantur, quod ſolenni diei renati Oſiridis, quo potiſſimum Ciſtas circumferre ſolebant, ſatis convenit. Putant tandem alii, id accidiſſe, quia omnes credebant, Iſidem, Oſiridis a Typhone diſcerpti membra, y) in ejusmodi Capſa cuſtodiviſſe. Hæc ſententia, Servii Georg. I. auctoritate firmata, ab ingenio Sacerdotum Aegyptiorum, quævis Naturæ fata ſub myſteriorum involucris proponentium, parum abludit. z) *NEO-*

y) Terreſtris hic videtur Oſiris, Nilus in varios diviſus Alveos, atque in Mari ſepultus.

z) Cl. Martin in *Explic. de divers Monumens Singuliers* p. 144, putat, Crucem Anſatam, de qua alio dictum eſt loco, eſſe ſacram Vannum, quod a vero nobis remotum videtur. Aliæ Myſticæ Ciſtæ occurrunt in Marmore Iſiaco vulgato ab J. Oliva, qui Cap. VI. docte de hac re diſſerit. Merentur etiam aliquo modo comparari Ciſtæ Aegyptiæ apud Ill. Com. de Caylus T. 2. 1. 4. T. 4. 9.

Digitized by Google

NEOCORI ET ZACORI.

Et Sacerdotum infimorum numero apud Aegyptios fuere *Neocori* & *Zacori*, quorum mentionem injiciunt CHAEREMON & SYNESIVS. Ille vero apud PORPHYRIVM de Abſtin. Lib. 4. hæc habet: *Vere ita philoſophantur Prophetæ, Sacri Stoliſtæ, Scribæ Sacri, & Horologi. Turba autem reliqua Sacerdotum, Paſtophororum, & Neocororum, Diisque ſubminiſtrantium, purificatur quidem ſimiliter, ſed non tam accurate, nec cum tanta continentia.*

Ex his adparet, CHAEREMONEM Sacerdotes Aegypti in duas claſſes diſtribuere, quarum prior ſacros comprehendebat miniſtros, ſublimiorum ſcientiarum peritos, qui majores ritus curabant; altera vero illos, qui minora in Templis obibant munera. Conſentit CLEMENS ALEXANDRINVS, qui in primo Sacerdotum ordine ſacros Cantores, Horoſcopos, Scribas ſacros, *Stoliſtas*, ac Prophetas recenſet; ſecundo loco ponit *Paſtophoros*, quorum nomine, generalius adhibito, omnes inferiores Sacerdotes intel-

 ligit,

ligit, cum vulgo *Paſtophori* primi tantum fuerint ſecundæ claſſis Sacerdotes.

Zacororum, qui iidem atque *Neocori*, mentionem quoque injicit SYNESIVS egregio illo loco de electione Regis Aegyptiorum, de quo quidem alia occaſione egimus; ſed iterum tamen heic illa adſcribemus, quæ *Zacororum* ordini illuſtrando inſerviunt. Iſte autem pag. 94 de Provid. ita ſcribit: *Milites*, in Electione, *manus attollunt*, COMASTAE vero, ZACORI, & PROPHETAE *calculos ferunt, pauci quidem, ſed quorum magna eſt ea in re auctoritas; Prophetarum enim calculus centum manus æquat, Comaſtarum viginti; Zacororum decem.*

Ex his non ſolum ſumma Aegyptiorum Sacerdotum in electione Regis poteſtas concludenda, ſed differentia quoque variorum ordinum, qui inter iſtos locum habuere.

Neocori in origine apud antiquos fuerunt illi, quorum officium erat, Templa resque ſacras purgare, lavare, tuerique, & cæteris

Digitized by Google

teris inſervire Sacerdotibus; *a*) tales utique ſuere *Neocori* Aegyptiorum CHAEREMONI citati, inferiores Miniſtris *Neocoris*, urbibusque hujus nominis, inter Græcos, de quibus multis egere VAILLANTIVS aliique plurimi in re notiſſima non exſcribendi.

Neocori Aegyptiorum Numinum in vetuſtis ſæpe occurrunt lapidibus, ſed cum hæc monumenta non primæ ſint antiquitatis, dubito, utrum has voces de infimo Sacerdotum gradu, aut potius græca ſignificatione de ſacris miniſtris paulo majoris dignitatis intelligere debeam.

Apud REINESIVM Claſs. I. 99. hæc leguntur: ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΚΑΙ ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ ΤΟ ΚΡΗΠΙΔΕΙΟΝ ΛΑΜΠΑΔΑ ΑΡΓΥΡΑΝ ΒΩΜΟΥΣ ΤΡΕΙΣ ΕΠΕΙ ΛΥΧΝΟΥΧΟΝ ΘΥΜΙΑΤΗΡΙΟΝ ΕΠΥΡΟΝ ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ ΥΠΕΡ ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΕΠ ΑΓΑΘΩ. *b*)

Apud

a) Conferri poſſunt illæ Levitarum Claſſes, quas Joſephus, & alii, Πυλώρȣς & Ἐργωδιώκτας vocat.

b) Sponius Miſcell. Erud. Ant. 10. . . . .

Digitized by Google

Apud eundem Claſs. I. 204. AESCVLAPIO SACRVM M. COELVS (COELIVS) ISIDIS AEDITuus P.

Ex aliis Inſcriptionibus porro adparet, poſterioribus temporibus inter Serapidis *Neocoros* etiam ordines quosdam fuiſſe obſervatos; ſic enim Grvtervs, 314. 1. ΜΑΡΚΟΣ ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ Ο ΚΑΙ ΕΡΜΟΔΟΡΟΣ Ο ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ ΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ . . . Plures quoque Scriptores autumant, varios gradus *Neocororum* probari poſſe ex Inſcriptione Reinesii Cl. 1. 290. ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ ΣΤΑΤΙΟΣ ΚΟΔΡΑΤΟΣ ΚΡΑΤΙΣΤΟΣ ΝΕΩΚΟΡΟΣ. Sed cum non legatur ΚΡΑΤΙΣΤΟΣ ΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, dubito, an non potius convertere debeam *Neocorus* Ampliſſimus; ut Senator Ampliſſimus, Clariſſimus, aliaque ejusmodi officii epitheta, quæ nullam graduum indicant differentiam

M. ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΗΡΩΝ ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΤΟΥ ΕΝ ΠΟΡΤΩ (ΠΟΝΤΩ) ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ.

In Inſcriptione Memnoniæ Statuæ apud Pocockium Serapidis quoque Neocorus occurrit.

tiam ; pro qua ſententia multas habeo, ſed quia a propoſita quæſtione longius recedunt, nunc non adferendas rationes.

Zacori auctore Cl. VAN DALE, *c*) fuere iidem atque *Neocori* ; Ἱερεῖς καὶ Ζάκοροι Θεῶν memorantur PLVTARCHO in Camillo. Apud ATHENAEVM Veneris Vates mulier ZAKOPOΣ, Aeditua, occurrit, *Zacorus* Serapidis legitur in Lapide apud GRVTERVM p. 85. 5. *d*)

ΝΗΟΝ ΜΕΝ ΣΙΓΑΛΕΟΝΤΑ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ
ΥΠΣΙΜΕΔΟΝΤΟΣ
Η Δ ΑΥΤΟΝ ΧΡΥΣΟΥ ΠΑΜΦΑΝΟΝΤΑ
ΒΟΛΑΙΣ
ΣΤΗΣΑΝΤΟ ΖΑΚΟΡΟΣ ΤΕ ΔΙΟΣΚΟΡΟΣ...

Quæritur, an Monumenta nobis *Neocoros* oſtendant, quod quidem rariſſime fieri credo ; nam omnia illa Sacerdotalia munera, quæ alicujus momenti fuere, & in publicis Pompis occurrunt, a Sacerdotibus majoris ordinis curabantur, excepta circumgeſtatione ſacrarum imaginum ; ſed hæc non *Neocoris*, verum

c) Diſſertat. Antiquar. De *Neocoris* p. 307.
d) His ſuberant Herodoto citati ΥΠΟΖΑΚΟΡΟΙ.

rum *Paſtophoris*, ſecundi ordinis primis Sacerdotibus, commiſſa fuit.

In Iſiacæ Tabulæ Segmento ſecundo ſtatim ſub Apide duo adſunt Sacerdotes, forte inferioris gradus. Eodem referri poſſent Sacrorum Miniſtri cum vaſculis in genua procumbentes in Limbo ejusdem Tabulæ. Huc forſitan pertinent Sacerdotes apud Com. de Caylus 2. 81. & Montfauconium 2. 140. 2. nullo modo ornati, genua ſubmittentes. Ad hanc quoque claſſem fortaſſis trahi poſſent monumenta Ill. Comitis de Caylus IV. 8. 4. & T. I. 8. 3. ubi primo quidem loco exiſtimavi *Neocorum* ad Lavacrum procumbentem videre; ſed præferenda videtur Ill. Comitis conjectatio, heic Oſiridis capſam repræſentari.

Neocori Aegyptiorum forte etiam conſpiciuntur in ultimo ſegmento monumenti, a Nordenio 125 vulgati, progredientes in ſacro proceſſu, manus in crucis formam pectori adplicantes.

Illi, qui in Aegypto Mortuos Condiebant, quodam modo ad Inferiora Sacerdotum Collegia pertinent.

Ad

Digitized by Google

Ad ſacrum ordinem Aegyptiorum utcunque referendi videntur Pollinctores, in ea enim regione ſepultura ſolemniter & religioſe tractata fuit; de qua re optime judicari poteſt ex ſequentibus DIODORI SICVLI verbis, Lib. I. p. 101. *Miniſtrorum ad cadavera condienda conſtitutorum — primus, quem Scribam vocant, depoſito humi corpore, circum ilia ſiniſtrum latus, quantum reſecandum ſit, circumſcribit. Tum* ΠΑΡΑΣΧΙΣΤΗΣ *ipſis dictus,* (qui inciſionem facit,) *lapidem tenens Aethiopicum, ubi carnis, quantum Lex jubet, diſſecuit, extemplo, quanto poteſt, curſu auffugit, perſequentibus eum, quotquot adſunt, cum lapidum jactu & exſecrationibus; ac ſi piaculum in ipſum avertant* — ΤΑΡΙΧΕΥΤΑΣ *vero,* (qui mortuos condiunt,) *e) omni honore & cultu dignantur;*

e) ΤΑΡΙΧΕΙΑ, Salitura, recte de Conditura Aegyptiorum adhibetur, quæ Nitro præcipue veterum conſtabat. Conſulendus Herodotus, Diod. Siculus, Comes de Caylus in *Hiſt. de l'Acad. des Inſcript.* XXIII. 119. Cl. Rouelle, in *Mem. de l'Académie R. des Sciences* A. 1750.

Comparari aliquo modo poteſt Geneſ. 50. 2. ubi conſulendi Interpretes, quorum nonnulli hos Pollinctores ſervos Joſephi fuiſſe, ſenſu nimis

tur; nam Sacerdotibus familiares ſunt, (Συνόντες, Commercia cum illis habent,) *& in ſacrarium libere ingrediuntur, ut qui ſint ſacri. f)*

Ex hoc itaque loco conſtat, non quidem omnes illos, qui in Aegypto curam defunctorum habebant, ſed eos tantum, qui condimentis odoribusque ſuis his immortalitatem conciliare tentabant, &, quantum in hominum viribus eſt, per plurima ſæcula tribuere quoque valebant, tanto in honore fuiſſe, ut cum Sacerdotibus vivere illis ſemper licuerit; ſive quod ipſi fuerint ex ſacris inferioris ordinis miniſtris, ſive quod illis familiaritate tantum proxime juncti.

Si

abjecto, exiſtimant, Medicosque, quod ultimum non negamus, ſi hoc vocabulum ſignificatione antiqua, neque recentiorum temporibus adcommodata, intelligatur; vulnerarium enim potius indicat, quam, quem hodie Medicum vocamus, poteſtate a conſuendi, transſuendique notione traducta. Legi merentur de hoc argumento Cl. Frid. Weberi Obſervat. ſacræ circa funera Populorum Orientis, pag. 10. Argentor. 1767.

f) Ἱεροὶ, Sancti, vel ſacri ordinis viri; alii ſcribunt Καθαροὶ, quæ interpretatio ex margine intruſa videtur.

Si vero eos conſulamus, qui Aegyptia vulgarunt monumenta, videbimus, illos in ea verſari opinione, Tabulas Aegyptias Leonis capite inſignes, in quibus mortui extenſi jacent, præſentibus viris mulieribusque, repræſentare defunctorum corpora a TAPIXEΥΤΑΙΣ condita, adſtantibus ſacris miniſtris. Hanc ſententiam probare conantur tum ex ipſa hac effigie, tum ex ſubjectis vaſibus, tum ex eo, quod hæc monumenta plerumque mortuorum corporibus involvendis inſerviant; porro, quia figuram illam cum capite canino adſtantem, corpus defuncti tangentem, Scribam eſſe autumant, qui ex ſententia DIODORI SICVLI partem inciſuræ convenientem indicat. *g*) Sed melius, niſi nos omnia fallant, hæc monumenta explicantur de Oſiride mortuo, ſeu Nilo pereunte, per Iſidem ope Anubidis, per quem Canicula intelligitur, iterum invento. Adſtantes figuræ ſunt vel ipſa Iſis, vel forte illius Miniſtræ.

Hæc

g) Poſſent addere, Scribam cane repræſentatum fuiſſe, idque, ut videtur, quia hoc inſigne fuit Mercurii, inventoris Scripturæ Aegyptiæ.

Hæc Monumenta occurrunt apud Middletonvm in Antiquitatibus p. 262. in *Hiſtoire du Ciel* T. I. p. 86. Montfavcon. *Ant. Expliqué* 2. 166. *Suplem.* 2. 57. ac apud Ill. Com. de Caylvs *Recueil d'Antiquités* T. 5. 8. *h*)

DE
SACRIFICIIS AEGYPTIORVM.

Sacrificia Inanimata.

Reſtat altera, eaque magna propoſitæ quæſtionis pars de Sacrificiis Aegyptiorum, de quibus pro mea conſuetudine non omnia, quod infinitum foret, ſed maxime neceſſaria, breviter ſimpliciterque exponam. Incipiendum autem mihi videtur a Sacrificiis inanimatis, a cruentis, ut materia, ſic ſcopo quoque & antiquitate diverſis.

Porphyrivs de Abſtin. p. 124 ſcribit, vetuſtiſſimos Aegyptios Numinibus ſuis primo igne conſecraſſe graminis virentis manu de-

h) In Limbo quoque Iſiacæ Tabulæ Leonina hæc Menſa occurrit, cui homo ſuperimpoſitus, ſine ullis aliis figuris.

Digitized by Google

decerptam lanuginem, fertilis terræ donum; poſtea contigiſſe, ut frondes arborum, ut fructus illarum, glandes, nuces, ficus; ut legumina, ut frumentorum diverſa genera, ut inde toſtæ offerrentur placentæ. His additos fuiſſe flores, odorata ligna, mella, olea, vina; omniaque iſta munera longe ante cruenta, crudeliaque ſacrificia locum habuiſſe.

Quæ PORPHYRIVS heic tradit de Sacrificiis Inanimatis, paulatim a prima ruſticitate paupertateque, ad elegantiorem perfectionem luxumque tendentibus, ea ex veterum ſcriptis, atque ex omnium temporum locorumque exemplis liquido ſtabiliri queunt. Nos vero de hac re ita agemus, ut primo Sacrificiorum inanimatorum materiam, poſtea feſtos dies, quibus illa præcipue offerebantur, exploremus; ſcopum dein & originem, varios tandem ritus hujus conſuetudinis perpendemus. Et cum de ſolis dicendum ſit Aegyptiis, ex innumeris antiquorum locis, quæ de Græcis, aliisque gentibus hac de re ſuperſunt, ea tantum proferemus, idque rariſſime, quæ ſilentium

Veterum de rebus Aegyptiorum, & quæ populi iſtius cum aliis convenientia permittere, poſtulareque videntur.

Materia Sacrificiorum Inanimatorum.

Quod ad Materiam vetuſtiſſimorum Sacrificiorum attinet, illa primum conſtabant ex Gramine, auctore Porphyrio, qui pag. 124. ita ſcribit: *Immenſum quoddam tempus fuiſſe, a quo omnium ſapientiſſimum genus hominum, ait Theophraſtus, ſanctiſſimæ illius regionis accola, quam Nilus oppidis muniverat, primo cœpit a Veſta cœlitibus ſacrificare, non Myrrha, Caſia, Thure, & Croco mixtis, quæ longo poſt tempore admiſſa — ſed Graminis tantum virentis lanugine, manibus decerpta, veluti fertilis quodam terræ dono* i)

Conferatur Diodorus Siculus Lib. I. pag. 52. cujus hæc ſunt verba: *Aegyptiorum quondam hujusmodi victum fuiſſe dicunt, ut antiquiſſimis temporibus herbas, caulesque, ac radices*

i) Euſebius Præp. Evang. I. 9. Hunc morem illuſtrat Cl. Kraft *Sitten der Wilden* pag. 278.

dices in paludibus naſcentium, ſingulis guſtatu prælibatis, comederent; primamque omnium, & creberrime ingeſſiſſe, quam AGROSTIN *vocant. — Utilitatem igitur Herbæ, memori colentes animo, hodieque cum Deos accedunt, homines manu illam amplexos adorare. k)*

Comparari poteſt Monumentum apud Illuſt. Com. De Caylus III. 1. 6. ubi Aegyptius occurrit, forte *Agroſtin* manu tenens. Idem T. V. 25. 3. rariſſimum vulgavit ſignum, quod Sacerdotem repræſentat, ſacrum Ramum ſolenniter geſtantem. *l*)

k) Interpretes Diodori Siculi, qui de *Agroſti* multis diſputant, tradunt etiam, Verbenam ac Sabinam, ſimili de cauſa, ex ſententia Veterum, in Italorum ſacris circumgeſtatas comeſtasque fuiſſe. Addendus Ill. Comes De Caylus T. VII. 105. qui tradit, *Agroſtin* generatim Plantam ſponte naſcentem, agreſtemque ſignificare, radicibus aut granis edulibus, forteque ipſam Lotum, quæ omnia mihi valde ſunt veroſimilia.

l) Clar. Bodenus *de Ramo Gentium Religioſo*, 1765 Vitebergæ; qui de modo, Deos ramis colendi, ſine controverſia accuratiſſime diſputavit, oſtendens, illum ad ea referendum eſſe tempora, ubi Diis minores exhiberi adhuc poterant oblationes; idem tum conſecrationem ramo-

Legumina etiam in ſacris oblata fuiſſe, docet Plutarchus de Iſide 378. dicendo: *m*) *Menſe Meſori Harpocrati offerentes Legumina dicunt, Lingua eſt Fortuna, Lingua Genius.* Ergo hoc quidem adparet, Legumina oblata fuiſſe Harpocrati; videbimus infra, Spicas Iſidi fuiſſe propoſitas; unde concludendum, Plantas non ſine delectu omnibus Diis, ſed pro variis Aegyptiorum de ſacris Plantis placitis, hanc iſti, illam alteri Numini oblatam fuiſſe. Apud eundem Scriptorem p. 377 legimus: *Iſidem peperiſſe Harpocratem ſub Solſtitium hibernum, imperfectum ac recentem, quod tum prævii flores & germina prima naſcantur, ideoque Harpocrati* (ut eſt in Latina Interpretatione) *Fabarum naſcentium primitias offerri.* *n*)

Ulti-

rum, tum morem, Deorum Templa, Aras, ſimulacraque iſtis ſolennibus lætisque diebus exornandi, ut & fatidicas magicasque horum virtutes eruditiſſime explicavit.

m) De fructibus oblatis breviſſime data occaſione inferius agemus.

n) De Primitiis, quæ magnam partem originem dedere ſacrificiis iſtis ex Plantis, alio dicemus loco; ut & de Lignis odoratis, quæ ad has inanimatas veterum oblationes pertinent.

Digitized by Google

Ultima hæc verba peſſime converſa ſunt; Primitiæ exoſarum Fabarum nulli Aegyptiorum Deorum oblatæ fuerunt, neque de his PLVTARCHVS agit, cujus hæc ſunt verba: Φακῶν φυομένων ἀπαρχὰς, recens natarum Lentium, aliorumque forte leguminum, Primitias.

De Panibus, *o*) in ſacris Aegyptiorum ex hordeo præcipue coctis oblatisque, præter PORPHYRIVM de antiquis temporibus

o) Panibus præmittendæ fuiſſent Spicæ, ut antiquiores oblationes, ſed de his ob alias rationes commodius agemus inferius.

Farri, Frugibus, & omnibus fere antiquorum Sacrificiis, vulgo Salia addi ſolebant. Ovidius Faſt. I.

Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica Salis.

Addendus Arrianus de Exped. Alex. M. 3. 108, qui ait: *Gignit autem Marmarica Salem foſſilem, quem Sacerdotes nonnulli Ammonis in Aegyptum portant — Hoc genere Salis & Aegyptii, & alii, quibus divinus cultus curæ eſt, in Sacrificiis utuntur.* Recte Arrianus hæc de foſſili Sale tradit, marina enim omnia Aegyptiorum odio fuere expoſita.

Digitized by Google

teſtem quoque habeo Herodotum 2: 40. De recentioribus Juvenalem Sat. VI. *p*)

Vt veniam culpæ non abnuat, Anſere magno
Scilicet & tenui Popano corruptus Oſiris.

De variis Panum, Diis in Aegypto oblatorum, materiis, formis, coctione, ut de rebus obſcuris, & non magni momenti, amplius diſputare nolo. Satis erit addere, hanc gentem, a cruentis ſacrificiis, ut crudelibus, quæ offerentibus detrimento ſunt, pauperibusque omnem ſacrorum aditum præcludunt, præcipue antiquioribus temporibus abhorrentem, ſæpe Animalium, quæ ex Lege mactanda fuiſſent, imagines Placentis Panibusque ſuis impreſſiſſe, cruentorumque ſacrificiorum loco obtuliſſe, de qua re in ſequentibus mihi majori cum adparatu agendum eſſe exiſtimo.

Sed

p) Suetonius in Vita Veſpaſ. C. VII. *Hic cum de firmitate imperii capturus auſpicium ædem Serapidis, ſummotis omnibus, ſolus intraſſet, ac propitiato multum Deo, tandem ſe convertiſſet, Verbenas, Coronasque, & Panificia, ut illic aſſolet, Baſilides libertus obtuliſſe ei viſus eſt.* Conf. Levit. Cap. II. & VII. Exod. XXIX. Num. XV.

Digitized by Google

Sed auctore PORPHYRIO non modo herbis, fructibus, leguminibusque ſacrificabatur, verum antiquitus iſtis donis, ut recentiori tempore etiam animatis victimis, addi ſolebant Libamina, eaque primum ſimpliciſſima ex Aqua, poſtea ex Oleis, Melle, Vinoque. q)

Aquæ in Libationibus Aegyptiorum mentionem facit PORPHYRIVS de Abſtin. pag. 374, dicendo: *Serapidis Cultus Aqua & Igne abſolvitur, quando Cantor Aquam libando, & ignem oſtendendo, in via erectus, patria Aegyptiorum voce excitat Deum.*

Quod vero ad Olea ſpectat, conſtat inter omnes, illa apud antiquas gentes fuiſſe in ſacris adhibita, tum ut igni ſuſcitando aptiſſima; tum etiam, quia oleo res illinen-

q) Sacerdotes Aegyptii etiam Lacte libare conſueverunt, teſte Diod. Sic. p. 26. & Apuleio Metam. XI, qui de ſacro miniſtro ait: *Gerebat aureum vaſculum, in modum papillæ rotundatum, de quo Lacte libabat.*

De Libaminibus ex Aqua, Melle, Oleo, Cereviſia, Vino, Sanguineque; ac de modo iſta ſacrificiis adfundendi, Diisque offerendi, accurate egit Cl. Saubertus de Sacrificiis Cap. 25.

nendo exiſtimabant, ſe illas hoc modo conſecrare. r) Frequens quoque erat Olei uſus in religioſis Judæorum ritibus; qua occaſione obſervandum duco, Cl. Michaelis in Diſſertatione *de Legibus Moſis Palæſtinam Populo caram reddituris*, tradere uſum Olei, Iſraelitis Aegypti cupidis, potius quam mellis mandatum fuiſſe, quia prius in Judæorum, poſterius in Aegyptiorum ſolo abundabat; & quando objicitur, Palæſtinam fuiſſe regionem lacte melleque fluentem, reſpondet, ibi uvas paſſas intelligendas eſſe. Apud eundem excellentem Scriptorem legimus, Oleum Olivarum in Aegypto olim fuiſſe rariſſimum; hinc, noſtra quidem ſententia, vetuſtiſſimis temporibus, antequam luxus ſumptusque in Religionem introducti fuere, non Olivarum, ſed præcipue Seſami, Ricinique oleo utebantur, & mellibus potius, quam oleis.

Pari modo etiam Vina antiquiſſimo ævo aut nunquam, aut rariſſime fuerunt adhibita,

r) Comp. Eſchenbachii Liber de Unctionibus Gentilium, in Diſſert. Academicis.

Digitized by Google

bita, qua de re aliquid etiam dicendum videtur. Sic itaque ſcribit: PLVTARCHVS, de Iſide, pag. 353. *Jam Vinum ii, qui Heliopoli Solem colunt ſacris, nullum prorſus in Templum inferunt, quod non conveniat interdiu bibere, Domino & rege inſpiciente. Reliqui vino utuntur, ſed modice admodum, habentque multos ritus, quos pure caſteque obeunt vini expertes, ubi philoſophando, rebusque ſacris docendis ac diſcendis tempus teritur. Reges quoque ex præſcripto ſacrarum Litterarum certa menſura vinum biberunt, ut Hecatæus ait, quia & ipſi eſſent Sacerdotes. Bibere cœpit Pſammetychus, cum neque bibiſſent antea, neque Diis libaſſent vinum, non iti gratum Diis rati, ſed ſanguinem eorum, qui bellum Diis intulerunt, ex quorum cadaveribus terræ permixtis vites ortas eſſe exiſtimant.*

Nolo jam de eo diſputare, quod certiſſimum eſt, Vinum a multis vetuſtis populis, ſive, ut nobis videtur, ob effectionem, ſive ob alias cauſas, malo Numini tributum fuiſſe. Sed tangenda eſt objectio, quam contra veri-

veritatem teſtimonii, a PLVTARCHO ex Sacerdotum ore prolati, multi ex HERODOTO producunt, qui Lib. 2. pag. 111 ait, *maximam vini copiam in Bubaſteos ſolennibus abſumtam fuiſſe*, quibus comiſſationes junctæ fuere. Sed idem Scriptor hunc nodum aliquo modo explicare videtur, pag. 117. dicendo de Aegyptiis: *Vino utuntur facto ex hordeo, neque enim illis ſunt in regione vites.* s) Antiqui itaque Aegyptii præcipue Zytho libaverunt. t)

Accedimus ad Spicas hordei, aliorumque frumenti generum, in Aegypto Diis oblatas, quas quidem non ea de cauſa panibus, aliisque materiis inanimatorum ſacrificiorum poſtpoſuimus, quod eas exiſtimaremus poſteriorum temporum, ſed tantummodo, quia hæc facilem ad ſequentia præbebunt tranſitum. Omnino autem heic adſcribendus, perpetuoque ſequendus videtur egregius DIODORI SICVLI locus, L. I. p. 18. ubi hæc

s) Hanc conjecturam minime ut certam profero ob locum Herodoti, L. 2. c. 33. p. 102.

t) Schookius de Cerviſia Cap. 2.

hæc leguntur: *Aegyptii pro argumento inventarum frugum adferunt ritum, qui ab antiquo apud eos ſervatur; nam etiam nunc meſſis tempore oblatis ſpicarum primitiis, incolæ juxta manipulos plangere, Iſidemque invocare ſolent. Id quod idcirco faciunt, ut honorem pro inventis Deæ ſub primæ inventionis tempus retribuant. Apud nonnullas quoque Urbes, quando Iſea celebrantur, in pompa tritici & hordei vaſcula circumferri conſueverunt, ad memoriam illorum, quæ Deæ induſtria reperta fuere.*

Solennia Tempora, quibus Sacrificia Inanimata ex Frugibus offerri ſolebant; ac Scopus illorum.

Primitiæ, oblationes illæ, quæ conſtabant ex primis de terra, arbore, ſtirpibusque ſumtis fructibus, & quæ originem dedere fere omnibus Sacrificiis ex Plantis, conſecrabantur eo tempore, quo illas in horrea invexerunt. Iſiaca, & ab his traducta Cerealia ſolennia meſſis tempore celebrabantur; tum enim maxime conducebat religioſis Aegyptiis grata mente Deos, quos ſibi præ-

præſentes, propitios horumque munerum largitores repræſentabant, colere venerarique. u) *Ne deguſtabant novas fruges*, inquit Plinius de antiquioribus Romæ incolis, H. N. 18. 2. *aut vina, antequam Sacerdotes primitias libaſſent.*

Scopus itaque iſtarum Primitiarum maximam partem in eo ſitus fuiſſe videtur, ut hoc modo gratias pro præterita agerent meſſe. Hanc rem de Aegyptiis confirmat citatus Diodori Sicvli locus; pari modo, parique ſcopo Primitiæ Cereri apud Græcos oblatæ fuerunt, x) auctore Theocryto, Idyll. VII. qui ait:

- - *En viam, en ad Thalyſia, nam amici*
Homines frugiferæ Cereri ſolennia peragunt,
Fortunarum Primitias offerentes, eis enim valde cumulata menſura
Dea frugibus abundantem replevit aream.

Ev-

u) Marshamus in Can. Chronico probat, tres ſolennes Judæorum Πανήγυρεις proxime ad Agriculturam ſpectaviſſe.

x) Cl. Joh. Rod. Grunerus in eruditiſſima Scriptione de Primitiarum oblatione, p. 179. ſeq.

Digitized by Google

EVSTATHIVS Iliad. I. ita ſcribit: *Thalyſia Primitiæ ſunt, quæ poſt collectionem frugum Deo penduntur, ut in poſterum arva floreſcant.* CELSVS apud ORIGENEM *Cont. Celſ. 8. Gratiæ ſunt agendæ Dæmonibus, rerum terrenarum præfecturas ſortitis, eisque preces offerendæ, & primitiæ, quoad vivimus, ut ipſos habeamus præſentes, & propitios.*

Ex his itaque locis, multisque aliis perſpicuum eſt, frugum, fructuumque reliquorum ſacrificia antiquiſſimo tempore præcipue oblata fuiſſe ab Agricolis beneficiorum memoribus, ſolennium dierum cærimoniarumque auctoribus, ſtatim atque ad maturitatem pervenerunt. Diſſimulandum autem heic non eſt, quod nullo modo negari poteſt, ex omnibus adparere, Aegyptios, & plerosque Veterum, in ſacrificiis omnibusque ſacris ſibi Deos repræſentaſſe, ut homines, iisdem animi cupidinibus adfectionibusque, quibus mortalium genus commovetur, obnoxios; unde illis, ſi omnia proſpere cedebant, pulcherrimas ſtatuas, pretioſas veſtes, ſplendida Templa, magnificas laudes, lautasque con-

conſecrabant cœnas, donaque innumera, ad quæ & ipſa iſta Sacrificia pertinent, de quibus nunc loquimur. Si vero Dii vota illorum non ad juſtos perducebant exitus, tum non amplius præmia, gratiarumque actiones adhibebant, ſed pœnas, ſupplicia, minarumque plena verba geſtaque; qua de re in ſequentibus majori cum adparatu agendum erit.

Summa horum Sacrificiorum Antiquitas.

Ipſe Diodorus Siculus loco citato venerandam antiquitatem oblationum ex frugibus docet dicendo, *hunc ritum ab antiquo apud Aegyptios ſervari.* Conſentit Porphyrius, tum in eo, quem ſupra laudavimus loco, tum etiam pag. 168. de Abſtin. ubi de Aegyptiis ita loquitur: *A rerum exordio Diis primitiæ de fructibus ſolvebantur.* Et Aristoteles Ethic. 8. *Antiqua Sacrificia, & conventus priſci habiti videntur poſt fructuum collectiones, quaſi Primitiæ quædam; nam illis maxime temporibus poſt frugum collectiones, velut a negotio ruſtico feriebantur.*

Ritus,

Ritus, quibus hæc Sacrificia offerebantur.

Nunc illud ſupereſſe video, ut ex vetuſtis ſcriptoribus, & ex Aegyptiorum monumentis, ritus, quibus Primitiæ a Sacerdotibus offerri Numinibus conſueverunt, breviter explicem.

Primitiæ frugum offerebantur vel integris manipulis, vel vaſculis. y) Priorem morem antiquiores Aegyptii, poſteriorem Græci præcipue adhibuerunt. Vtraque gens grana ſine furfuribus, manipulosque paleis purgatos Numinibus conſecrabat.

A frugibus in Caniſtris circumgeſtatis Cereris ſolennia, Iſidis Pompis ſimillima, *Canephoria* dicebantur. *Canephoræ* Iſidis Sacerdotes in Herculanei Picturis ſæpius occurrunt, fructuum ſpicarumque caniſtra capite & manibus circumferentes. *Canephoræ* Iſidis Miniſtræ mentionem quoque facit Græcus,

y) Similes Judæorum ritus explanavit Cl. Spencerus de Leg. Hebr. T. 2.

Digitized by Google

cus, qui Venetiis ſupereſt lapis, vulgatus a Mvratorio 180. 1.

Frugum Primitiarumque manipuli conſpiciuntur in monumento antiquo edito ab Avgvstino in Gemmis Ant. 38. z) a Spanhemio de Vſu & Præſt. Num. Diſſ. V. & a Montfavconio *Antiqu. Expl.* 2. 135. 1. ubi Sacerdos Aegyptio Romanus ſacram menſam manibus tenet, e cujus latere pendent piſces, anſeres, loti flores; in ipſa autem

z) Conſulenda etiam nova Maffeji harum Gemmarum Editio P. 2. 12. & 13. ubi hoc monumentum egregiis explicatum eſt commentariis, in quibus etiam Solis Menſa apud Aethiopes, Pomp. Melæ III. 9, commemorata, citatur. Nos vero de ſacris Aegyptiorum epulis, menſisque Diis propoſitis, forte alio dicemus loco, interim tamen ad hujus monumenti explanationem adſcribendus videtur Hieronymvs, qui Comm. in Eſaiam 65 ita loquitur: *Eſt in cunctis urbibus, & maxime in Aegypto & Alexandria, Idololatriæ vetus conſuetudo, ut ultimo die anni & menſis ejus, qui extremus eſt, ponant menſam refertam varii generis epulis, & poculum mulſo mixtum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auſpicantes.* Addendus Plvtarchvs Sympoſ. IV. de Judæis, *Maxime fervente vindemia proponunt menſas, in quibus expoſitæ ſunt omnis generis fruges ſub Tabernaculis.*

Digitized by Google

tem menſa ſacra adſunt vaſa, duo ſpicarum manipuli, & caniſtrum fructibus refertum. *a*)

Comparanda etiam Tabula Iſiaca, quæ ſolennes feſtosque Aegyptiorum dies ordine repræſentat, & in qua frequenter ſacra Vaſcula aris impoſita, & varii generis plantis exornata occurrunt. Conferenda ibidem Fig. 1. Sacerdos Aegyptia Spicus, vel aliud quid ſimile manu tenens; *b*) quamvis me non fugiat plures hanc Plantam aliter explicaſſe.

a) Ara cum tribus ſpicis in Vaſe Aegyptio occurrit apud Cl. Khell Suplem. ad Num. Imper. Rom. p. 34. Fructus Diis Aegyptiorum offeruntur in Monumento antiquo vulgato a Cl. MARTIN *Explic. de divers Monumens ſinguliers* p. 144, & a Cl. Com. DE CAYLVS VI. 15.

Iſidis Sacerdos femina in Herculanenſibus Picturis Ramum geſtat ſacrum, diſtinguendum, ut omnia, de quibus heic agimus, ab Iſiacis Sacerdotibus aliquando Palmam ſolenniter circumferentibus.

b) Pignorius exiſtimat Fig. I. Tabulæ Iſiacæ geſtare Apſinthium Marinum Aegyptium Dioſcoridis, de quo Cl. Lobelius Adv. Stirp. N. 368. multis egit, & cui etiam ſimilitudine accedit; citat itaque Dioſcoridem Lib. III. 27 ſcribentem:

plicaſſe. In iisdem Aegyptiorum monumentis nil eſt notius, quam non modo Deos Loto aliisque Floribus, ſed & eorum miniſtros iisdem ornatos conſpicere; ſolebant enim antiqui, & hic ritus a Primitiis, agricolarumque ſacris choreis originem ſumſiſſe videtur, Deorum ſtatuas, Sacerdotumque capita floribus ſpicisque, grati lætique animi argumento, exornare. Solebant quoque Aegyptii Sacerdotes in ſacris majorem Loti caulem circumferre, quo inſigni Aegypti ſacrum Miniſtrum apud Comitem de Caylus Tom. 1. 6. 4. & apud Pocockium 1. 109. ornatum video.

Sacra ab Aegyptiis oblata Suffimenta.

Inanimatis Sacrificiis, Oblationibusque, addebantur odorata Ligna, ſacraque Suffimenta,

Apſinthium Marinum, quidam Scriphium — in Taphoſiri Aegypti naſcitur, id Iſiaci ſolenniter pro Oleaginis ramo proferunt. Conſentit Plinius 27. 8. & Apuleius de Vir. Herb. 100. In Taphoſiri, Sepulcro Oſiridis, cujus nominis plures urbes fuiſſe conſtat, naſci potuit planta maritima, Nilus enim in mare ſe effundens, ibi ſepultus dicebatur.

menta, quorum mentionem facit toties a nobis laudatus PORPHYRIVS de Abſtin. Lib. 2. p. 124 dicendo: *Immenſum tempus fuit, a quo omnium ſapientiſſimum genus hominum, teſte Theophraſto, & ſacratiſſimæ illius regionis accola, quam Nilus oppidis muniverat, primo cæpit a Veſta cælitibus ſacrificare, non Myrrha, Caſia, Thure, c) & Croco mixtis, nam hæc longo poſt tempore ſunt admiſſa, errore paulatim irrepente, cum homo ex vitæ neceſſitate ad multos labores natus lacrymoſos, cæpiſſet Diis odorata Plantarum ſtillicidia offerre, quorum antea nullus erat uſus in Sacrificiis, ſed graminis tantum virentis lanugine, manibus decerpta veluti fertilis quodam terræ dono — Hoc itaque incendio, quos tunc credebant, Deos cæleſtes ſalutabant, & per ignem conſecrabant, qua de cauſa ignis immortalis naturæ ſimillimus, a nobis* in

c) Plinius XIII 1. *Iſiacis temporibus Thure non ſupplicabatur. Cedri tantum & Citri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem, verius quam odorem noverant.* Arnobius Lib. VII. *Nam neque in iis temporibus, quemadmodum creditur & perhibetur, heroicis, quidnam eſſet Thus ſcitum eſt, Scriptoribus ut comprobatur a priſcis, quorum in Libris nulla mentio ejus reperitur.*

in Deorum Templis adſervatur. Itaque a θυμιάσει, odorata crematarum ſtirpium exſpiratione, θυμιατήριον Acerram vocaverunt, indeque θύειν rem divinam facere, & θυσία victima adpellatur. — Antiquum ſacrificandi ritum ex his, quorum meminimus, conjicere etiam poteſt, quisquis inter ſacrificandum obſervaverit a multis odorata quædam ligna minutim conciſa adoleri.

Ex hoc itaque loco, & ex rei ipſius ratione, veroſimili, ut videtur, ſententia, concludimus vetuſtiſſimis oblationibus Frugum, reliquorumque fructuum addita primum vulgaria ligna, foliaque; his ſucceſſiſſe reſinas jucunde olentes, prætioſaque ligna, iis demum temporibus, quibus cultus & ſacrarum coerimoniarum ratio, ut omnia, ad majorem luxum perfectionemque pervenere. *d*)

Im-

d) Origini ſacrorum odoriferorum lignorum ſuffimentorumque, quam heic propoſuimus, contrariari videntur illi, qui iſta introducta credunt ſanitatis cauſa; aut ex neceſſitate ſuavis odoris ob tetras exhalationes ſacrificiorum; vel ad conciliandam Templis reverentiam, in iis præcipue regionibus, ubi ſuffiminum uſus Principibus receptus; vel tandem, quod non omnino rejici poteſt, quia ligna reſinoſa, ipſique iſtorum ſucci, optime igni ſuſcitando, ſuſtentando-

Digitized by Google

Immutationes, quæ progreſſu temporis in Suffimentis ſacris contigere, certius definire nequeo. Qualis vero & quanta fuerit recentiorum temporibus Sacerdotum hac in re cura, conſtat ex loco PLVTARCHI de Iſide 383, qui collectis omnibus de hoc argumento copioſe ita ſcribit: *Aliquid etiam dicendum de iis, quæ quottidie adolentur; illud primo cogitandum videtur viros iſtos*, (Aegypti Sacerdotes) *ſtudium rerum ad ſanitatem conducentium nunquam non feciſſe maximi; in Sacrificiis autem, caſtimoniis, ac vitæ quottidianæ uſu non minorem pietatis, quam ſanitatis duxiſſe rationem — Hinc, quia aër, quo aſſidue utimur, non eodem ſemper adfectus temperatusque eſt modo, ſed noctu denſatus corpus comprimit, animamque compellit ad mæſtitiam quandam & ſollicitudinem, veluti caligine ei quadam & gravedine inducta, ſtatim ut a ſomno ſurrexere reſi-*

 nam

que inſerviunt, quem antiqui in ſacris ſummopere neceſſarium judicabant.

Sacerdotes Aegyptii Boum concremandis victimis addebant thura, myrrham aliaque ſuaviter ſpirantia, auctore Herodoto 2. 40.

nam adolent, e) reficientes aërem & ſecretione purgantes, ſpiritumque, qui concretus cum corpore languorem contraxit, reſuſcitantes; habet enim odor reſinæ vehementiam quandam, & vim percellendi. Rurſum meridie ſentientes Solem, a terra attrahentem vi ſua admodum multum ac gravem vaporem, & aëri admiſcentem, Myrrham ſuffiunt — Ariſtoteles etiam adfirmat, unguentorum, florum, pratorumque ſuaves fragrantias non minus ad ſanitatem facere, quam ad voluptatem, quod eæ cerebrum natura frigidum, & ad concretionem proclive, ſenſim ſuo calore & levitate relaxent. Id quoque ad rationem cauſæ reddendæ nonnullum adfert pondus, quod Myrrham Aegyptii Bal nominant, f) quæ vox,

e) Plutarchus de Iſide 372. *Quavis die, Aegyptii ter adolent Soli; reſinam ſub ortum; Myrrham meridie; circa occaſum, quod nominant Kyphi; ſingulis quidem iſtis opinantur ſe Solem venerari & conciliare.* Vnde adparet, Plutarchum exiſtimaſſe Aegyptios ſuffimina Soli obtuliſſe, quod de ignibus ſacris negari nequit.

f) Myrrha Coptis non *Bal*, ſed *Schal* dicitur Exod. XXX. 23. Matth. II. 11. De Myrrha, Thure, aliisque veterum odoratis reſinis, lignisque, re magnam partem obſcuriſſima, legendi

vox, ſi interpreteris, ſignificat delirationis amolitionem. Kyphi porro mixtura eſt ſedecim rerum in unum compoſitarum; g) mellis, vini, uvæ paſſæ, Cyperi, Reſinæ, Myrrhæ, Aſpulathi, Seſelis, Junci odorati, Bituminis, folii ficulnei, Rumicis, Juniperi utriusque, ſunt enim major & minor, Cardamomi, & Calami. Has autem ſpecies non temere componunt, ſed Seplaſiariis, dum iſthæc miſcent, ſacræ recenſentur litteræ; Numerus quadratus a quadrato. h) Itaque Kyphi ſuavem emittit utilemque exhalationem,

Olaus Celſius in Hierobotan; Salmaſii Comment. in Solinum. Ejusdem Homonyma Hyles Jatricæ; & Cl. Michaelis Quæſtiones Arabiæ Peregrinatoribus propoſitæ.

g) Suidas. *Kyphi quoddam ſuffitus genus, cujus compoſitio mihi ignota a Manethone Aegyptio exhibita.* Dioſcorides 1. 23. *Kyphi Suffimenti compoſitio eſt Diis grata & accepta, qua Aegyptii Sacerdotes abunde utuntur.* In ſequentibus idem Scriptor compoſitionem docet, eamque parum differentem ab iis, quæ hodie ſub nomine Trochiſcorum Kypheos Damocratis in Pharmacopoliis vendi ſolent.

h) Quaternariam compoſitionem, cujus arcanas rationes quæſivere myſtici Doctores, videmus in ſacris Judæorum Suffimentis Ex. XXX.

qua aër mutatus ſpiritu ſuo etiam corpus adficit, temperiemque blandam adipiſcitur; & moleſtiam ac vehementiam diurnarum curarum, quaſi vincula quædum animæ, citra ebrietatem relaxat; facultatemque imaginatricem & ſomniorum capacem levigat inſtar Speculi, purioremque reddit.

Et ſi a veterum ſcriptorum locis nos ad antiqua convertimus monumenta, obſervamus, Ill. Comitem de Caylus V. 19. 1. vulgaviſſe Aegyptium Sacerdotem in genua procumbentem, utraque manu vaſcula, quæ ſuffimenta continere videntur, geſtantem. *i*) Comparandum aliud Monumentum ex Pinacotheca Præſidis de Bon, editum a Montfauconio *Suplem.* 2. 53. 3. ubi Sacerdos Aegyptius genua flectens, priori excepto capitis ornamento ſimillimus, ſuffimentorum odorumque pyxides tenere videtur.

Sequi-

i) Ill. hujus monumenti Editor de illo ita loquitur: *La plus grande ſingularité de ce monument qui repreſente un Prêtre à genoux, eſt celle de deux corps ronds, & dont il paroit faire offrande. On ne peut regarder ces corps come des fruits, une moulure ſuperieure, dont ils ſont ornés, rappelle plûtot l'idée de Caſſolettes, ou de boëttes propres à renfermer des Parfums.*

Digitized by Google

Sequitur ut heic breviſſime quædam Veterum loca adſcribam de ſacro Lucernarum Suffimentis ignibusque Templorum perpetuo juncto uſu. *k*) SENECA de Vita Beata 27. *Linteatus Senex medio Lucernam die proferens conclamat iratum aliquem Deorum*; huc etiam pertinet APVLEIVS, qui Metam. XI. Lucernæ in Sacris Iſiacis circumgeſtatæ mentionem facit. Et HERODOTVS 2. 62. dicendo: *Quando in Vrbem Sain*, (ubi ſolennia Minervæ celebrabantur) *ſacrificatum conveniunt, noctu univerſi Lucernas plurimas accendunt, circum circa domos ſub dio; Lucernæ autem ſunt vaſa ſale & oleo plena, quibus ſuperſtans incumbit ellychnium, quod tota nocte ardet; Feſti nomen eſt Lucernarum accenſio. Qui ad conventum non ierint noctem ſacrificii obſervantes, Lucernas accendunt; itaque Lucerna non in Sai modo, ſed etiam per totam Aegyptum accenduntur, cujus ritus ſacra ratio eſt.* *l*)

SACRI-

k) Clem. Alexandr. Strom. I. *Lucernas accendere primi docuere Aegyptii.*

l) Dubitari nequit comparandam ſacram Lucernarum apud Sinenſes Pompam, de qua præ ceteris legendæ erruditiſſimæ ſcriptiones, *Memoire, dans le quel on prouve, que les Chinois ſont une Co-*

Digitized by Google

SACRIFICIA EX VARIIS ANIMALIVM GENERIBVS DESVMTA.

Quemadmodum Aegyptii antiquiſſimis temporibus oblationibus inanimatis, ac præcipue frugibus Deos bene de ſe meritos grata mente proſecuti fuerint, ſatis ſuperiore loco explicatum arbitror; ſequitur, ut de cruentis agam ſacrificiis, re nodoſa intricataque; quæri enim ſolet, quomodo mortales cogitare unquam potuerint, ſe Animalia, ſuo ſocietatisque detrimento, *m*) crudeliter obtruncando, Numinibus grati quid facere. Quæritur præcipue, quomodo Aegyptii, qui beſtias Deorum inſtar habuere coluereque, ad cre-

lonie Egyptienne, pag. 28. *Lettres de M. de Mairan au R. P. Parennin contenant diverſes queſtions ſur la Chine*, pag. 95.

m) Ovidius Metam. XV.

Immemor eſt demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit, curvi dempto modo pondere aratri,
Ruricolam mactare ſuum; qui trita labore,
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.
Nec ſatis eſt, quod tale nefas committitur, ipſos,
Inſcripſere Deos ſceleri, numenque ſupernum
Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci.

Digitized by Google

credendum inducti fuerint, ſe cruentis ſacrificiis iram Numinum ſuorum avertere, beneficiaque illorum mereri poſſe. *n*) Hanc quæſtionem, aliasque plures obſcuriſſimo hoc argumento comprehenſas, conjectura expedire conabor, quam generalioribus proponere primum verbis, dein ſpecialioribus confirmare exemplis in animo eſt. Hæc ſi placebit lumen adferet non Aegyptiorum modo, ſed omnium fere antiquarum Religionum magnis, lateque fuſis tenebris. *o*)

n) Recentioribus potius quam antiquis temporibus adſcribenda Juliani opinio, qui apud Cyrillum ait: *Animatæ oblationes digniores ſunt congruentioresque, quam inanimatæ, Deo, qui & vivit, & ipſe omnis vitæ auctor eſt.* Hoc gravi errore imbutus Imperator. ceterum ſapiens, juſtus, ſcientiſſimusque, innumeras ſine parcimonia pecudes ſuperſtitioſe mactavit, ut æſtimaretur, ſi revertiſſet a Parthis, boves jam defuturos. Amm. Marcellinus 25. 4. Diſticha ſub Catonis nomine.

Thure Deum placa, vitulum ſine creſcat aratro,
Nec credas placare Deum, dum cæde litatur.

o) Macrobio Auctori recentiori, cruenta antiquorum Aegyptiorum ſacrificia neganti, contrariatur vetuſtiorum monumentorum ſcriptorumque veneranda antiquitas, ille vero ita ſcri-

Noſtra itaque ſententia Sacrificia Aegyptiorum conſtabant ex animalibus odioſis, quæ ut totidem infeſti Typhonis ac ſociorum illius imagines ſpectabantur; Sacerdotesque exiſtimabant ſe iſta jugulando malignos genios plectere, ac contumeliis & ſuppliciis ad-

bit Sat. 17. *Nunquam fas fuit Aegyptiis pecudibus aut ſanguine, ſed precibus & thure ſolo Deos placare. Saturnum & Serapin tyrannide Ptolemæorum in cultum recipere coacti, quibus beſtiæ erant ex more mactandæ, fana eorum extra pomoeria locaverunt; ut & illi ſacrificii ſolenni ſibi cruore colerentur, nec tamen urbana Templa pecudum morte polluerentur.*

Hic quoque obſervandum, eſſe qui tradunt, non ſolum cruenta ſacrificia, ſed & ipſum carnium uſum, apud antiquos, ac præcipue Aegyptios, pleraque animalia colentes, victuque, ex plantis abundantes, tardius introductum fuiſſe, indeque Pythagoram cum multis aliis & hanc, quam Ovidius illi tribuit, retuliſſe ſententiam.

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Sed de hoc dubitari poteſt, ſi incultas horridasque generis noſtri origines, ac ſummam & vetuſtioribus temporibus maxime neceſſariam Venationis antiquitatem ſpectemus.

afficere; putabant porro ſe hac ratione Numina ſua, nefandis his Dæmonibus contraria, venerari, placare, gratiamque apud illos inire poſſe. *p*) Quotiescunque autem accidebat, ut ob perpetua illa bella, quæ ſecundum Aegyptios locum habebant inter Numina, quorum altera benefica vulgo, ut potentiora culta, maleficaque altera ut debiliora plerumque neglecta, calamitates obvenirent magnæ, regionis iſtius incolæ, ut ſunt mobiles ad ſuperſtitionem ſemel perculſæ mentes, pro tempore deſerentes priſtina cara ſua Numina, convertebant ſeſe ad nocentes genios, neque amplius inviſa animalia, ſed jam ſacra illa, quæ colebantur, contumelioſe tractabant, mactabantque. *q*) Prio-

p) Cum in antiqua Aegyptiorum Religione pleraque ad magnas rei publicæ utilitates adcommodarentur, contigit, ut illis ignotum fuerit placitum poſteriorum temporum, quodque multis variarum gentium cruentis ſacrificiis originem dediſſe videtur, de criminibus per ſacras cærimonias, victimas, luſtrationesque expiandis.

O Faciles nimium, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua.

q) Pari fere modo videmus incultarum gen-

Priora Sacrificia erant ordinaria frequentiaque; poſteriora extraordinaria ΑΠΟΤΡΟΠΑΙΑ, averruncandis cladibus inſtituta, non certis ratisque temporibus, ſed rariſſime adverſis calamitoſisque diebus. *r*) Sic Zoroaſter, Aegyptiis ſimillimus, auctore Plvtarcho de Iſide 369, duorum generum victimas offerendas eſſe ſtatuebat, has benefico Numini ad agendas gratias, illas infeſto Arimanio tetricas ad avertenda amovendaque mala.

Sacri-

tium plures rebus minus proſpere cedentibus, Penates (*Fetiches*) mutando, meliorem fortunam tentare.

r) Arnobius Adv. Gentes L. VII. *Dici a vobis accepimus, eſſe quosdam ex Diis bonos, alios autem malos, & ad nocendi libidinem promptiores; illisque, ut proſint, his vero ne noceant ſacrorum ſolennia miniſtrari.* Hieronymus ad Jerem. X. 5. *Solent plerique Gentilium Dæmones alios colere, ne noceant, & alios evocare, ut præſtent beneficia.* Idem faciunt etiam multi Americæ Incolæ, qua quidem in re nullam neque Indorum, neque Aegyptiorum imitationem video; ſed conficitur inde hanc opinionem eam eſſe, quæ ubique facillime imbecillitati humanæ placuit.

Sacrificia itaque, ut omnes fere antiqui ſacri Aegyptiorum ritus, cœpiſſe videntur a ſpe, multoque magis a metu; ſentiebant ſe ex Numinibus perpetuo pendere, qui illis bona mittebant malaque; ita autem duo tam diverſa nunquam exiſtimabant ex eodem fonte manare poſſe, illis præcipue temporibus, quibus Aegyptii non modo non unum omnium rerum auctorem cognoſcebant, ſed ubi nondum vulgatis perfectioribus Philoſophorum placitis, forteque Aegypto pluribus adhuc parenti dominis, arbitrabantur eſſe multos Deos benignos, maleficosque; ut enim ad benefica Numina Oſirin, Iſidem, Harpocratem, Anubin, aliosque referebant; ſic ad infeſta Typhonem, Nephtyn, Thucrin. Ita quoque apud pleraſque gentes non unum reperimus malum Dæmonem, ſed plures, hunc illi, illum alteri malo præfectum.

Et cum in opinione de benignis nocentibusque Numinibus fundamentum conjecturæ meæ jactum videatur, adſcribam de eadem longiorem & egregium PLVTARCHI

locum, qui ait: *s*) *Non enim Siccitas duntaxat, aut ventus, mare, tenebræ, ſed quæcunque Naturæ pars damnoſa eſt, & corrumpendis rebus apta, Typhonis eſt. Quippe nec in corporibus animæ exſortibus principia univerſi ſunt conſtituenda, ut fecere Democritus & Epicurus, neque*

s) De Iſide, p. 369. De hoc argumento legendi Scriptores eruditiſſimi, *Bayle Diction* præcipue V. *Pauliciens, Pericles, Manichéens, Zoroaſtre, Xenonaphanes. Le Batteux Memoire ſur le Principe Actif de l'Univers, in Mem. de l'Acad. R. des Inſcr,* T. 27. *Foucher Traité Hiſtorique de la Religion des Perſes,* Ibid. T. 25. p. 127. *Sur le Dualiſme des anciens Perſes.* Hyde de Relig. Perſarum. Jablonski Pantheon Aegypt. de Typhone T. III. Wolffius *de Manicheiſmo ante Manicheos & in Chriſtianiſmo redivivo.* Beauſobre *Hiſt. de Manichée & du Manicheiſme.*

Addenda pauca quædam de Homero, nam cum iſte Poëtarum Pater Iliad. 24. 527. in Jovis limine duo dolia collocaſſet, bonorum malorumque fontes, credunt nonnulli, opinionem duorum ſibi adverſorum Numinum non ita antiquam eſſe; ſed ipſe Homerus Deorum cupiditates, ægritudines, iracundias, bella prœliaque canit; ipſe exercitus producit contrarios, quos alii Dii ex alia parte defendunt; quod cum antiquorum temporum, Aegyptiorumque placitis valde convenit.

que qualitatis expers materiæ opifex providentia unica, quæ omnia ſuperet atque contineat, hunc titulum meretur, qui fuit Stoicorum error. Impoſſibile enim eſt, ubi nullius rei cauſam Deum ſtatueris, aliquid unum vel bonum facere omnium rerum principium, Heraclito teſte, ut Lyræ & Arcus, ita mundi quoque concinnitas contentionem & remiſſionem admittat. Et ſi Euripidem audiamus

Sejungíer non poſſunt a bonis mala,
Sed eſt eorum, ut res habent, ſatis bene
Commixtio quædam.

Vetuſtiſſima proinde a ſacrarum profeſſoribus rerum, & legum latoribus derivata eſt opinio, auctore incognito, fide firma & indelebili, non in ſermonibus ea tantum & rumoribus, ſed & in Myſteriis ac Sacrificiis tam barbaris, quam Græcanicis exſtans, neque caſu ferri & a fortuna pendere univerſum, mente ratione ac gubernatore deſtitutum, neque unicam eſſe rationem, quæ contineat id, & dirigat, tanquam clavum aut fræna moderans; ſed cum permulta e bonis juxta maliſque confuſa, imo nihil hæc natura ſincerum, ut vere dicam, proferat, non eſſe unum

aliquem promum, qui e duobus doliis res nobis, veluti aliquem liquorem, cauponis in morem diſtribuat ac miſceat. Ergo a duobus Principiis contrariis, adverſisque duabus facultatibus, quarum altera ad dextram & recta ducat; altera retrorſum avertat atque reflectat, cum vitam eſſe mixtam, tum ipſum mundum, ſi non univerſum, eum ſaltem, qui ad terram eſt, & Lunæ ſubjacet, inæqualiter ferri, variiſque, & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil absque cauſa fit, & mali cauſam bonum non præbet, neceſſe eſt in natura ut boni, ita etiam mali, ortum peculiarem ſuumque principium exſtare. Atque hæc quidem ſententia pleriſque, & iisdem ſapientiſſimis probatur. Exiſtimant enim alii, duos eſſe Deos, quaſi contrariis deditos artibus, ut bona alter, mala alter opera conficiat. Alii eum, qui eſt melior, Deum, qui deterior, Dæmonem vocant. In qua ſententia fuit Zoroaſtres, quem narrant quingentis annis ante Bellum Trojanum fuiſſe. Is ergo melioris nomen Oromazen, prioris Arimanium perhibuit; docuitque votivas, & pro gratiis agendis victimas illi immolandas; huic averruncandi mali cauſa inſtitutas, & tetricas. — Chaldæi Planetas Deos faciunt, quorum duos be-

ne-

Digitized by Google

neficos, totidem maleficos, reliquos tres medios adfirmant & promiſcuos. — Græcorum opinio nemini fere ignota eſt, qui bonam partem Jovi Olympio, malam Diti averrunco adſignant. — Empedocles principium boni efficax amorem ac amicitiam, ſæpe etiam harmoniam adpellat, deterius autem litem, rixamque ſanguinolentam. Pythagoræi pluribus utrumque principium adficiunt nominibus; Bonum unitatis, finiti, quieſcentis, recti, imparis, quadrati, æqualis, dextri, ſplendidi. Malum binarii, infiniti, in motu verſantis, curvi, paris, altera dimenſione longioris, inæqualis, ſiniſtri, tenebricoſi; hæc eſſe principia ortus rerum ſtatuunt. Anaxagoras mentem & infinitum. Ariſtoteles formam & privationem. Plato multis locis, quaſi occultans & obumbrans ſuam ſententiam, alterum contrariorum principiorum Idem, alterum adpellat Diverſum. At in libris de Legibus jam ſenior non per ambages, aut per notas, ſed diſertis verbis pronuntiat, mundum non unica anima, ſed pluribus fortaſſe, ad minimum autem duabus cieri, quarum una boni ſit efficax; altera ejus contraria & contrariorum efficax. — In anima ergo mens & ratio optimorum omnium princeps, atque

 que

que dominus Oſiris eſt; in terra autem ſpiritibus, aquis, cælo, & ſtellis, quod ordinatum, & æquabile eſt ac ſanum, id defluxus & imago eſt Oſiridis, tempeſtatum, temperatorum, ac converſionum vicibus conſpicua. Typhoni autem animæ pars rationis vacua eſt, & variis motibus exagitata, tumultuoſa, & bruta. In corpore facultas morbos & mutationes adſciſcens; tum aëris intemperies & inconſtantia, Solisque & Lunæ defectus veluti excurſiones ſunt Typhonis — Omnia Animalia, ſtirpes, & eventa mala atque damnoſa, Typhonis opera atque effecta putant. t)

Itaque Aegypti timidiſſimi ſuperſtitioſiſſimique incolæ, duorum Numinum ſibi adverſorum opinione imbuti, ſpectandi ſunt, ut debilis & titubans populus regni, de quo duo dimicant Imperatores; hos videmus incerto

t) Conferri queunt emendatiores interpretationes, commentariique Cl. Semleri, libri, qui inſcribitur *Erläuterung der Egyptiſchen Alterthümmer durch Ueberſezung der Schrift Plutarchs von der Iſis und dem Oſiris.*

Digitized by Google

certo animo ſemper vacillantes ab illius parte ſtare, a cujus eſt victoria; adſeclasque diverſorum ducum pro varii belli fortuna nunc in cœlum laudibus, nunc cum clamore ad ſupplicia trahere.

Sententiam meam de origine cruentorum ſacrificiorum Aegypti firmat modo laudatus PLVTARCHVS dicendo: *u*) *Aegyptii, quia Typhonem colore rufo fuiſſe cenſent, boum quoque nonniſi rufos immolant; itaque adcuratam adhibent obſervationem, ut, ſi vel capillum haberet album, nigrum, non immolandum judicent*, NON ENIM APTVM ESSE AD VICTIMAM PRAESTANDAM, QVOD CARVM SIT DIIS, *ſed contra iis corporibus ſatrificandum eſſe, quæ animas impiorum & injuſtorum in alia corpora tranſeuntium exceperunt. x*)

u) De Iſide 363.

x) Plures Auctores cum heic laudato Plutarcho conſentiunt, originem gratorum inviſorumque Animalium in Placito Migrationum Animorum quærendam eſſe, quod dubitationem habere videtur; alterum dubitari non poteſt, poſte-

Ex univerſa Aegyptiorum Religione, ipſiusque citati loci accurata inſpectione adparet, per hæc ultima animalia ea intelligenda eſſe, quæ Typhoni ſacra fuere; unde quoque opinio de Sacrificiis minime ex iis, quæ grata ſunt, petendis, ut multo antiquior diſtinguenda eſt a Græcorum Romanorumque placitis, ubi progreſſu temporum Dianæ Cervi, Aſini Priapo, Canes Hecati immolabantur, quia hæ beſtiæ iſtis Diis gratæ fuerunt.

Aelianvs Hiſt. Anim. X. 23. *Coptitæ Capras feras feminas conſecrant & religioſe colunt, eaſdemque Iſidi in amore & deliciis eſſe exiſtimant, mares autem immolant.* Fit iterum heic diſtinctio ex mente Aegyptiorum inter animalia grata cultaque, & ea, quæ potuerunt ſacrificari.

Hero-

riores Philoſophos dixiſſe, Oſiridis Animam in Apin, aliorum Numinum animos iterum in alia tranſiiſſe corpora, quatenus hæ beſtiæ illis conſecratæ fuerunt, atque ut viventes Deorum ſpectabantur imagines.

Digitized by Google

HERODOTVS Lib. 2. C. 41. *Mundos quidem boves mares ac vitulos univerſi Aegyptii immolant, at feminas iis, utpote Iſidi conſecratas, immolare non licet.* Optime HERODOTVS disjungit conſecratas beſtias, ab iis, quæ victimarum loco offerri potuerunt. *y*)

Addendus PLVTARCHVS de Iſide, p. 362, qui ait: *Typhonis obſcuratam, atque adeo ſemianimem, & inſtante interitu trementem potentiam, tum ſacrificiis quibusdam demulcent atque leniunt; tum contra aliis ſolennibus deprimunt, contumeliisque adficiunt, in his ignominioſe tractant rufos, aſinumque de præcipitio dejiciunt.* Hunc locum inferius diligentius perpendemus, ſed interim heic citandus erat, quia modum, quo Aegyptii ſeſe gerebant erga Typhonem, omniaque illa, quæ ejus partes effigiesque videbantur, clare dilucideque explanat.

Equidem illud etiam animadverto, ob diverſum animalium cultum, qui in variis

y) Pari modo explicandus idem Scriptor, 2. 42, dum ait: *Arietes non mactantur a Thebæis, ſed iis ſacri ſunt.*

Aegypti locis receptus fuit, quædam huic Provinciæ ſacra fuiſſe, & in altera immolari potuiſſe, auctore Herodoto 2. 42. qui ait: *Qui Jovis Thebani Templum incolunt, aut Thebanæ Præfecturæ ſunt, ii omnes ab ovibus abſtinentes capras immolant; non enim eosdem Deos ſimiliter colunt univerſi Aegyptii præter Iſin & Oſirin.* z.) — *Qui vero Mendetis Templum obtinent, hi Capris abſtinentes immolant oves.* Ex hoc autem ipſo, quod ſecundum Herodotum beſtiæ non potuerunt ſacrificari, ubi colebantur, quodam modo conficitur, victimas non ex gratis, ſed ex inviſis deſumta fuiſſe animalibus. *a*) Com-

z) Quomodo vetuſtiores Aegyptiis non modo variarum provinciarum, familiarumque Peuntes habuerint peculiares, ſed & ſimul alia quædam Numina, Templa, ſolenniaque ſacra, toti Nationi communia; quæ hoc modo unanimum conſtituebat, genus, cultu ſuo a ceteris ſeparaium, legimus apud Iſ. Iſelin humanæ Societatis hiſtoricum amicumque excellentem, Patriæ noſtræ decus; *Geſchichte der Menſchheit* p. 45. & 49 iterata Editionis.

a) Ex eodem loco adparet, quam vetuſtum ſit placitum de Diis hujus vel illius loci cuſtodibus, præſidibusque, cujus veſtigia tum in Aegypto, tum & in pluribus aliis Religionibus ob-

Comparandus etiam locus Exod. VII. 25. Vbi Moſes Regi, qui voluit, ut Judæi in Aegypto ſacrificarent, reſpondet, quod ſi victimas ſuas offerrent, immolarent hoc modo deteſtationem Aegypti, animalia Aegyptiis grata, & quæ propterea nefas fuit jugulare. *b*)

Re-

ſervo. Hinc quoque bella Deorum Aegyptiorum non ſemper ex ſententia de Numinibus beneficis malignisque, ſed aliquando etiam ex iracundiis invidiisque Deorum diverſarum hujus regni Provinciarum explicanda ſunt. Juvenalis Sat. XV.

Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus
Ardet adhuc Ombos & Teutyra; ſummus utrinque
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum
Odit uterque locus, cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

Diverſæ etiam Provinciæ Lupum coluerunt & Ovem, Feles & Murem, animalia, inter quæ eſt diſſenſus, quem Ἀντιπάθειαν Græci vocant, unde aliquando religioſa quoque odia bellaque oriri potuerunt, nunquam tamen ita horrida, barbara, fera, ſanguinaria, delirantia, ut illa fanaticorum poſteriorum temporum.

b) Manetho apud Joſephum Lib. 1. Cont. App. *Ille vero*, Moſes, *primum quidem eis*, Judæis, *legem poſuit, ne ab animalibus, quæ præcipue ſacra apud Aegyptios erant, abſtinerent, ſed omnia ſacrificarent, & abſumerent.*

Reſtat, ut ad exponendam confirmandamque conjecturam, qua obſcuriſſimum hunc locum adſequi conatus ſum, generalioribus iſtis rationibus ſpecialiores quoque ſubjungam, ſingula victimarum enarrando genera.

SACRIFICIA ORDINARIA EX *ANIMALIBVS DESVMTA.*

Porci.

HERODOTVS Lib. 2. 45. memoriæ prodidit, *Aegyptiis non licuiſſe immolare alias pecudes, præter Sues, c) Boves mares, & vitulos, dummodo mundi ſint, atque Anſeres.*

Iſte locus de Sacrificiis ordinariis intelligendus optime opinionem noſtram comprobat, clareque docet, non alia, quam inviſa animalia, Aegyptiis Numinibus vulgo oblata fuiſſe. Id

c) Ovidius Metam. XV.

. . . . . Et prima putatur
Hoſtia Sus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperat anni.

Idem Faſt. 1.

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine Porcæ.

Digitized by Google

Id de Sue quidem nemini dubium eſſe poteſt, animali, quod plerisque antiquorum, & præcipue Aegyptiis in odio fuit, de quibus hæc perhibet AELIANVS Hiſt. Anim. 10. 16. *Porcum Aegyptii oderunt. ut abominandum, & omnivorum.*

Non omni tamen tempore Sues ſacrificabantur, ſed quibusdam tantum diebus feſtis, ubi Oſiris, & Iſis, inimici Typhonis, cui Porcus dicatus, colebantur; de qua re ſic ſcribit HERODOTVS 2. 47. & 48. *Suem Aegyptii ſpurcam belluam arbitrantur, unde &, ſi quis iſtorum eam vel tranſeundo contigerit, cum ipſis veſtibus demergit ſe abiens ad flumen, & ideo ſoli omnium Subulci Aegyptii indigenæ nullum in Aegypto ingrediuntur Templum. — Aliis Diis immolare Sues fas Aegyptiis non eſt, præterquam Lunæ & Baccho, quibus, cum per tempus Plenilunii Sues immolarunt, carne veſcuntur.* d) — *Sacrificium autem de Suibus Lunæ fit*

d) Plutarchus de Iſide 355: *Quod autem ſemel in Plenilunio Suem mactantes comedunt, rationem hanc reddunt, Typhonem, cum plena Luna Suem perſequeretur, reperiſſe lignum arcam, in qua Oſiridis corpus jacebat.* Latent in his veſtigia corruptiora odioſi Por-

ſit in hunc modum. Immolata Sue extremam ejus caudam, & lienem, & omentum ſimul componens, adipe omni, qui circa alvum pecudis eſt, ea obtegit, ac deinde igni adolet; reliquis carnibus Plenilunii die veſcuntur, quo die ſacra fecerint, alio die non amplius guſtarent — Baccho quoque in Feſti convivali cæna Porcum pro foribus mactantes quisque auferendum præbet ipſi Subulco, qui illum vendiderit.

Omittimus alia plura, ex his enim ſatis adparet, Porcum fuiſſe animal Aegyptiis ingratum, ac propterea in Sacrificiis adhibitum. *e*)

BOVES ET VITVLI RVFI IN SACRIFICIIS ORDINARIIS MACTATI.

Præter Porcos ex ſententia Herodoti in Sacrificiis Aegyptiorum etiam offerebantur *Boves*, *ſed mares tantum & vituli*, *dummodo*

ci Typhoni dicati. Conferendus Adonis, per Aprum a Marte, Typhoni ſimillimo immiſſum, occiſo.

e) Rigordiana Tabula, (*Journal de Trevoux* Jun. 1704.) ſacram repræſentat Menſam, in qua variæ ſunt oblationes, interque eas Porci victima.

modo mundi, in quibus ultimis verbis iterum novum conjecturæ meæ argumentum eſſe video.

Ratio itaque, ob quam tantum boves mares immolari potuerunt, mea quidem opinione inde deducenda, quod Vaccæ Aegyptiis, ut & hodie Indis, ſanctæ gratiſſimæque fuerint, hinc ad Sacrificia ineptæ, cujus rei teſtem habeo eundem HERODOTVM Lib. 2. p. 104. ita ſcribentem: *Mundos quidem mares Boves ac vitulos univerſi Aegyptii immolant; at feminas immolare non licet, utpote Iſidi conſecratas. f)*

Occurritur quidem nobis a multis quærentibus, quomodo boves immolari potuerint, ex quorum grege deſumtus Apis, maximum Aegypti Numen; *g)* reſpondemus cum

f) Idem Scriptor ſubjungit: *Boves feminas omnes Aegyptii pariter venerantur ex omnibus pecudibus longe plurimum.* Et Porphyrius de Abſtin. L. II. *Apud Aegyptios & Phœnices citius carnes humanas, quam vaccinas guſtaſſet quiſpiam.*

g) Ad Boum Sacrificia non pertinet Apis a Sacerdotibus aliquando neci datus, occultoque

cum Herodoto, boves vituloſque non offerri potuiſſe, niſi mundi fuerint. Hæc autem puritas, quæ victimas aris idoneas reddebat, & de qua Sacerdotes, antequam Sigilla imprimerent, adcuratius judicabant, magnam partem heic a colore pilorum boum pendebat, nam ſi iſti vel minima ratione ad Apidem accedebant, inepti erant Sacrificiis, ubi nonniſi rufi, Typhoni dicati, adhibebantur, auctore eodem Herodoto L. 2. 103, qui ait: *Boves mares Epaphi eſſe ſtatuunt, eaque de re hunc in modum illos explorant, ſi pilum nigrum,* (qualis fuit color Apidis) *vel unum adeſſe viderint, nequaquam mundum cenſent;*

ſplendide ſepultus loco; ſacri enim hujus gentis miniſtri nolentes ut ſanctiſſimum Numen ætate confectum lente torqueatur, miſereque tandem pereat; ſimulque curantes, ut plebem nonnunquam Θεοφανιαις, magnificiſque pompis, ad Religionem traherent, poſt certum tempus, quando pulchrum alicubi bovem noverant, Apidis inſignia gerentem, aut talem, qui arte adhibita ſacro Tauro ſimilis fieri poterat, mortem ſenis nataleſque novi celebrabant Dei. De hoc argumento, ambiguaque Apidis ætate, legi queunt Cl. Jablonski in Pantheo, & commentaria exquiſitiſſimi judicii Cl. Marmontel ad Lucani Phars. L. VIII.

ſent; inquirit autem in hæc Sacerdotum aliquis ad id conſtitutus, pecude tum ſtante erecta, tum etiam reſupinata. Conſentit PLVTARCHVS de Iſide 363 dicendo: *Aegyptii porro, quia Typhonem colore rufo fuiſſe cenſent, boum quoque nonniſi rufos immolant; itaque accuratam adhibent obſervationem, ut ſi vel unum capillum habeant album, aut nigrum, non immolandos judicent;* (*h*) *non enim aptum eſſe ad victimam præ-*

h) Conf. Maimonides, qui in Libro de Vacca rufa, apud Judæos immolanda, Cap. 1. ita ſcribit: *Si duos ſolum pilos albos aut nigros ſibi mutuo incumbentes habebant, in medio loci depreſſos, aut inter duos poros, ad ſacrificium ineptæ iudicabantur.* Et Jonathan, qui ait: *Accipiant Vaccam rufam duorum annorum, in qua non eſt labes aut macula de pilo albo.* Et Miſchnah Tract. *Perah* C. 2. S. 5. Cum his Hebræorum acuminibus conſentiunt verba Legis Num. 19. 2. cujus origo obſcuriſſima, neque aliter, quam ex Aegyptiorum ritibus explicanda. In eo vero tantum diſcrepantiam video, quod Aegyptii Boves rufos, Judæi juvencas ſacrificarint. Cum iſta Aegyptiorum religione comparandi etiam Aurei, rufi, Jeroboami Vituli; hisque ſimillimus Aaronis aureus Vitulus, de quo ob ipſum illum colorem Cl. Millius, præeunte Philone, ingenioſe diſputat, illum minimè Apidis, ut vulgo exiſtimatur, ſed Typhonis ſignum fuiſſe.

Digitized by Google

præſtandam id, quod carum ſit Diis, ſed contra iis corporibus ſacrificandum, quæ animas impiorum & injuſtorum hominum, in alia corpora transeuntes, exceperunt.

Addendus Diodorvs Sicvlvs pag. 99. cujus hæc ſunt verba: *Boves autem ruſos immolare fas eſt, quod hunc colorem habuiſſe Typhon videatur, qui per inſidias Oſirin oppreſſit, & propter viri cædem ab Iſide ſupplicio adfectus eſt.*

Apud Kirchervm Oedip. Aegypt. III. 417. occurrunt Sacerdotes Aegyptii victimarii, nullo veſtium, nullo capitis tegumentorum ornatu conſpicui, bovem humi proſtratum jugulantes. Apud Nordenivm 125, in menſa ſacrificiis plena obſervatur bubulum caput; idem in ara conſpicitur in Limbo Iſiacæ Tabulæ. Abſciſſa iſta ſacrificatorum boum capita explicari queunt ex loco Herodoti 2. p. 103. i) *Sacrificandi is*

i) Idem Herodotus loc. cit. alias circumſtantias immolationis boum ita recenſet: *Sacrorum crematio ac exemtio, alia circa aliud ſacrum ab iis inſtituta —. Poſteaquam corio bovem exuerunt, habitis pre-*

Digitized by Google

is eſt Aegyptiis ritus, pecude, quæ ſignata eſt, ad aram, ubi immolant, adducta, pyram incendunt, deinde ſupra aram circa hoſtiam libato vino, ac Deo invocato, mactant, victimæ caput amputant, & reliquum corpus excoriant. Capiti autem illi multa imprecati, aſportant iſti, quibus jus eſt forum celebrare, & ſi eis Græci negotiatores adfuerint; illi igitur ferentes in forum vendunt, quibus ſi non adfuerint Græci, in flumen abjiciunt. Exſecrantur autem capita in hæc verba: SI QVID MALI AVT IPSIS IMMO-

cibus alvum extrahunt, viſcera in corpore adipemque linquunt, crura amputant, extremum lumbum, armosque ac cervicem. His actis reliquum bovis corpus ſtipant, panibus puris, melle, uva paſſa, ficis, thure, myrrha, & aliis odoribus; ubi hæc infarſerunt adolent, multum olei adfundentes; jejunio tamen ante ſervato ſacrificant. Dum ſacrificium ardet, omnes verberant; poſtquam ſatis verberaverunt, dapem ex ſacrificii reliquiis præponunt. Comparanda ſunt illa, quæ in ſuperioribus ſcripſimus de ſacris Deorum menſis epulisque; Homerus Iliad. I. 423. Comiſſationes in Cultu Vituli Aurei. Exod. 32. 6. ac plurima V. T. loca de Sacrificiis tum expiatoriis, tum pacificis, quorum partes Sacerdotibus offerentibusque cedebant. Spencerus de Leg. Hebr. L. III. Diſſ. I. C. I. *EpulumSacrificiale.* Epicharmus apud Athenæum: *E Sacrificio fit Epulum, ex hoc compotatio, indeque comiſſatio.*

IMMOLANTIBVS AVT TOTI AEGYPTO FVTVRVM SIT, ID IN HOC CAPVT CONVERTATVR. *Et circa vini libationem, & Capita pecudum immolandarum, pariter Aegyptii omnibus in templis eodem ritu utuntur, ut nemo Aegyptiorum de capite ullius alterius animantis deguſtet.* k)

De Hominibus ab Aegyptiis antiquiſſimis temporibus in Sacrificiis mactatis.

His diſputatis ſequitur, ut dicamus de Hominibus in Aegyptiorum Sacrificiis oblatis, hi enim antiquiſſima ætate eousque dementiæ progreſſi ſunt, ut non ſolum, quod durum abſurdumque eſt, rufos boves; ſed aliquando, quod abominandum, & ipſos homines hoc colore præditos contumelioſe tractarent, ſacrificarentque; quod ſcribere non aude-

k) Comparanda χειροθησία Victimarum apud Judæos, præcipueque ſolennis illa Azazelis, de qua hæc legimus Levit. 16, 20. 21. *Et offeret hircum vivum, & imponet Aaron utramque manum ſuper caput hirci vivi, & confitebitur ſuper eum omnes iniquitates filiorum Iſraëlis, & omnes prævaricationes eorum ex quibusvis peccatis; & cum eas hirci capiti impoſuerit, amandabit eum in deſertum.* Addendus Maimonides de Oblationibus Cap. III. Sect. 6. 8. 9.

Digitized by Google

auderem, niſi idem docuiſſet grauiſſimus ſcriptor DIODORVS SICVLVS dicendo: *l) Homines quoque ajunt ejusdem, quem Typhon habuit, coloris, (ruſi, de quo heic mentio eſt) antiquitus ad Oſiridis monumenta, m) mactatos fuiſſe. Et pauci ſane Aegyptiorum ruſi inveniuntur, ſed peregrinorum complures, proinde & fabula de Buſiridis, advenas obtruncantis, ſævitia apud Græcos invaluit; non quod Rex alioqui Buſiris vocatus ſit, ſed tumulus Oſiridis lingua vernacula id nominis habet. n)*

 Lo-

l) Pag. 99. Conferendus Plutarchus de Iſide 362, qui ait: Quibusdam feſtis Aegyptiorum diebus, ad Typhonem contumeliis adficiendum inſtitutis, rufos homines ignominioſe tractatos fuiſſe. Et pag. 364. *Corpus Typhonis rufum, & lutei coloris fuiſſe putant, hinc non libenter compellant homines tali colore præditos, & ingrata eſt iis eorum conſuetudo.*

m) Notandus ſingularis & ſignificantiſſimus mos, has victimas in ipſo Oſiridis ſepulcro immolandi.

n) Conjungitur ex Oſiridis nomine, & ex *Be*- quod Coptis ſepulcrum ſignificat, Math. 23, 29. Hinc Βϰτοὶ, Tumuli Aegyptiorum, apud Heſychium. Addendus Auguſtinus de Civit. Dei 18, 12. qui ait: *Buſiridis in Aegypto cruentiſſimi ty-*

Locus iſte Diodori Sicvli non modo humana Aegyptiorum Sacrificia, quæ quidem negavit Herodotvs, o) expreſſe confirmare; ſed egregie etiam illorum originem rationemque explicare poteſt.

Diodoro quoque conſentit Plvtarchvs de Iſide 380, qui ait: *In Lucinæ Vrbe vivos combuſſerunt homines, ut Manetho ſcribit, Typhonios adpellantes,* (ob colorem) *& cinerem*

ranni crudelis hoſpitalitas, & crudelior religio tunc fuit, qui innocentum hoſpitum ſanguinem Diis ſcelerum ſuorum participibus propinabat. Conſulendus etiam Ungerus de Ξενοκτονίας antiquo ritu.

o) Lib. 2. Cap. 45. *Fabula de Hercule in Aegypto Jovi immolando ficta a Græcis prorſus ignaris naturæ Aegyptiorum & morum; quibus nullam pecudem immolare fas eſt, præter Sues, boves mares vituloſque, dummodo mundi ſint, & anſeres; ii qua ratione immolarent homines?* Hunc Herodoti diſſenſum cum aliis auctoribus ingenioſe potius, quam ſolide, ſolvit Clar. Jablonski Panth. 2. 75. tradens ſacrificia humana, Manethoni memorata, non quidem ab ipſis Aegyptiis, ſed ab Arabibus paſtoribus ibi introducta fuiſſe. Nobis vero videtur Herodotum hæc ſcripſiſſe, quia barbarus iſte mos antiquiſſimis tantum temporibus adhibitus, dein abolitus fuit, remanentibus tamen luculentis illius veſtigiis, de quibus diſputabimus in ſequentibus.

Digitized by Google

rem eorum ventilando diſſiparunt, atque aboleverunt, quod palam factum eſt, certo tempore, diebus canicularibus.

De eadem re ita loquitur PORPHYRIVS: *p) Amoſis Heliopoli, q) quæ eſt in Aegypto, ritum mactandi homines ſuſtulit; ſicut teſtatur Manethon in libro, quem fecit de pietate, & inveterata ignorantia. Sacrificabant enim Junoni* (PLVTARCHO dicitur Εἰλήθυια, Juno Lucina) *tres homines, qui explorati,* (quod ad colorem attinet) *non minus ac vituli electi, puri, & ſigillo obſignati, die ſacrificiis dicato, immolabantur, pro quibus Amoſis juſſit cæreos æquales irrogari.*

Hæc erat ratio humanarum victimarum in Aegypto oblatarum, penitus diverſa a Sacrificiis extraordinariis, quæ multæ aliæ antiquæ Gentes ex tribulium ſuorum numero Diis offerebant; *r)* perſuaſi, id quod

p) Eadem ex Porphyrio proferunt Euſebius Præp. Evang. 4. 16. Theodoretus de Sacrif. C. 8.

q) Ἐν Ἡλίου πόλει; niſi forte legendum ſit Ἐν Εἰληθυίας πόλει.

r) De Ἀντιψύχοις, devotis veterum animis, legendi præcipue viri doctiſſimi, Caſaubonus &

in natura pulcherrimum, quod nobis proximum, cariſſimum, pretioſiſſimumque, ſi Numinibus, etſi innocuum devoveatur, etſi integerrimum, crudeliter mactetur, optimam eſſe victimam, Diisque ſuaviſſimam, quibus ad humanæ imbecillitatis ſimilitudinem, inexplebilem donorum cupiditatem, iracundias, ac impatientem tribuebant vindictam. s)

Auctor quidem eſt Porphyrius, de Abſtin. 169. Sacrificia humana in Aegypto etiam ob ipſam iſtam rationem oblata fuiſſe, quod quidem nobis vero non videtur ſimile, quamvis ipſi adſeramus, in magnis quibus-

Salmaſius, ad Spartiani Hadrianum, occaſione Antinoi, qui ex multorum mente pro Hadriano ſeſe devovit.

s) Philo Jud. p. 293. ait, *Gentes barbaras mactationem liberorum pro ſancto opere & Diis grato habuiſſe.* Ex his conficitur, quod pravæ ſuperſtitionis indomitus fanaticusque furor, omni alia animi commotione violentior, pernicioſiorque, agreſtes quosdam mortalium aliquando ad facinora, quæ molli humanitati, ingenito & fere invincibili naturæ ſenſui repugnant, inſtigare potuerit. Sic conſtat ſceleſta cum beſtiis adulteria, atque ipſa deteſtabilia hominum ſacrificia in Aegypto religionis cauſa perpetrata fuiſſe.

Digitized by Google

buſdam patriæ periculis, publicaque calamitate, etiam talia ſacrificia, rariſſime tamen, fuiſſe adhibita; ubi non quidem homines, ſed gratæ ſacræque beſtiæ eo fine oblatæ fuerunt, ut infeſtum Numen placaretur, de quibus poſtea pluribus verbis agendum eſt.

Expoſui graviſſimorum antiquorum judicia de humanis Aegyptiorum Sacrificiis; omitto poſteriorum fabulas, *t*) de Virgine Nilo olim quotannis ſacrificata. *u*)

t) Fabulam voco narrationem de Virgine ante Turcarum imperium Nilo immolata; minime vero nego, Turcas & Coptos hodie temporibus Inundationis Niloticæ innumeras nugas, ſuperſtitioſasque cerimonias antiquioris originis peragere, de quibus ubique loquuntur Peregrinatores.

u) Arabum Scriptores apud Schawium 2. 148. Pococke 1. 27. Maillet 1. 69. magno conſenſu tradunt, cum primum Turcæ Aegypto potiti ſunt, hujus regionis incolas Virginem in Nilum projicere conſueviſſe, ut ad juſtam adſcenderet altitudinem; Imperatorem vero iſtorum hunc morem aboleviſſe, Niloque epiſtolam ſcripſiſſe, qua accepta omnia ex voto ceſſerunt: Comparandus Nicephorus Calliſtus 12. c. 37. & Sozomenes Hiſt. Eccl. 7. 20. qui ait: *Neque enim clam gentilium more ſacrificare absque periculo licebat, ſed adverſus eos, qui hæc admittere auſi eſſent, lex erat*

Ex his igitur omnibus efficitur, Sacrificia ordinaria, in quibus Animalia Aegyptiis inviſa inactabantur, deſumta fuiſſe ex Porcis, iſtius

propoſita, quæ pœnam capitis, & bonorum proſcriptionem iis infligebat. Quo quidem tempore ajunt Aegyptii fluvium tardius ſolito exundare cæpiſſe; indignabuntur ergo Aegyptii, quod fluvio ex more, & inſtituto majorum ſacrificare haud quaquam permitteretur; unde præfectus Aegypti ſuſpicatus, eos ſeditionem moliri, rem Imperatori, (Theodoſio, de quo conſtat, quod omni modo, vi atque vehementia antiquas ſuperſtitiones deleverit,) *ſignificavit; hic autem re cognita ſatius eſſe dixit, fidelem erga Deum permanere, quam fluenta Nili, & frugum ex ea re ubertatem pietati anteponere. Nunquam fluat, inquit, fluvius iſte, ſi incantamentis elici, & ſacrificiis oblectari, & cruoris fluxu undas ex divino Paradiſo defluentes inquinare revera poteſt. Verum Nilus haud multo poſt effuſus, ſuperiora quoque loca aquis ſuis operuit. Cumque ad ſummam, &, quæ raro impleri ſolet, menſuram perveniſſet, & adhuc tamen aquæ intumeſcerent, in contrarium metum inciderunt Aegyptii, timebantque ne Urbs Alexandria, & Libyæ pars aquis obrueretur. Tum vero ajunt paganos, qui erant Alexandriæ, moleſte ferentes id, quod acciderat, per jocum in Theatris exclamaſſe, quod Nilus tanquam ſenex ac delirus, eminxiſſet; hanc ob cauſam plurimi Aegyptiorum patriam ſuperſtitionem damnantes, ad Chriſtianam Religionem ſe contulerunt.*

Adjungamus antiquam fabulam ex Plutarcho, quæ poſtea multarum aliarum origo fuit; ille vero in Libro de Fluminibus hæc habet: *Aegyptus Vulcani & Leucippes filius Aegypti imperium tenuit, cum*

Digitized by Google

iſtius gentis odio expoſitis, & ex rufis hominibus, ac bobus, Typhoni ſimilibus ac dicatis. Eadem erat ratio victimarum ex Aſinorum genere, Orygibus, Piſcibus, atque Anſeribus, de quibus nunc dicendum erit, ut omnibus iſtis exemplis confirmetur conjecturæ meæ veritas.

De Aſinis in Aegyptiorum ordinariis Sacrificiis immolatis.

De Aſinorum Typhoni dicatorum, Aegyptiisque inviſorum, ſacrificiis ita ſcribit PLVTARCHVS x) *Typhonis obſcuratam, atque con-*

autem ob ciuile bellum non retrocederet Nilus, & fame premerentur indigenæ, reſpondit Pythia, fertilitatem tum demum futuram, cum Rex averruncatricem Diis natam ſacrificaſſet. Aganippen itaque ad altaria duxit, miſeriis & calamitatibus oppreſſam, ſed ea immolata tantum animo Aegyptus dolorem concepit, ut ſe ipſum in fluvium Melanem præcipitem dederit, qui ab eo Aegyptus vocatus eſt.

x) De Iſide 362. Idem ibid. ait *in Solis ſacrificio illos, qui Deum venerabantur, admonitos fuiſſe, ne aurum ſecum ferrent, neve Aſino alimentum præberent.* De Aſino ex diſputatis omnia perſpicua; aurum vero ob rutilum colorem non ſecum ferendum fuit. Omitto plura alia antiquorum loca de Aſino Aegyptiis inviſo, quæ extant apud eun-

contritam potentiam, ſemianimem, & inſtanti interitu trementem, tum ſacrificiis quibusdam demulcent atque leniunt, tum contra aliis feſtis diebus deprimunt, contumeliisque adficiunt; in his ignominioſe tractant rufos, Aſinumque, ut Coptitæ faciunt, de præcipitio dejiciunt, y) *pro-*

dem Plutarchum de Iſide 363. 371. & Diod. Sic. 99. Aelianus quoque H. An. 10. 28. auctor eſt, Typhoni ſecundum Aegyptios gratum fuiſſe Aſinum; eosque, qui Serapidem coluerunt, eum odio proſecutos fuiſſe. Addendus Epiphanius Adv. Hær. L. III. 1093. *Alicubi Aſino nomine Setb vel Typhonis ſacra faciunt.* *Setb* eſt cognomen Typhonis Aegyptium, cujus originem La Crozius & Jablonski mea ſententia non adſecuti ſunt, & cum quo comparandum *Set-Sot*, & *Sot-Set*, frequentativum Coptorum vocabulum, qualia in horum lingua plurima occurrunt, percuſſionem, cladem, deſtructionemque ſignificans, Deuter. 9. 21. Genes. 14, 5. 7. Num. 14, 45.

y) Notus veterum mos, devota animalia, victimasque, averruncandæ Deorum iræ oblatas, de rupibus projiciendi. Legendus Lucianus, qui de Syriæ Deæ Sacerdotibus hæc habet: *Eſt alius ſacrificandi ritus, poſteaquam animalia immolationi deſtinata coronarunt, e Templi veſtibulo ea demittunt, illa autem præcipitata ex caſu moriuntur.* Plures quoque Judæorum Magiſtri tradunt, Hircum *Azazel* in deſerta ſolitudine de rupe detruſum, præcipitatumque fuiſſe.

propterea quod rufus, & aſinino colore fuerit Typho — Et menſibus Payni ac Paophi, quando in ſacrificiis Placentas condunt, Aſinum vinctum in iis effingunt.

Notatu dignum videtur inſtitutum Aegyptiorum, vetuſtiorumque quorundam Græcorum loco victimarum ex animalibus, aut illorum cereas imagines, aut placentas ejusmodi repræſentationibus ornatas, offerendi. Cujus ritus originem aliquando ex neceſſitate paupertateque, nonnunquam ex cruentorum ſacrificiorum odio, ſæpiſſime tamen ex ſapientiſſimis politicis deducendam autumo rationibus, quæ minime permittebant, ut Aſini, illi præcipue regioni commodiores, z) Bovesque agricolæ in Ἑκατόμσοις perirent. Ita quoque PORPHYRIVS de Abſtin. 2. 223. auctor eſt, *Amaſin juſſiſſe, ut loco hominum,* (ruforum) *qui ante ejus tempora immolabantur; tres cereæ humanæ adolerentur figuræ.* HERODOTVS L. 2. p. 107. ait *Pauperes in Aegypto, ob victus tenuitatem, Sues ex farina, poſteaquam coxerunt, immolaſſe.*

Ad-

z) Cl. Gesnerus de Aſinorum honeſtate, Comm. Gœtting. 2. 32.

Adjungendus Plvtarchvs de Iſide 371., qui ait: *Septima Menſis Tybi, quem diem nominant Iſidis ex Phœnicia adventum, placentis adfingunt ligatum Equum Fluviatilem.* Heic vero duo præcipue notanda arbitror, primum, quod Hippopotámus, alterum Typhonis ſignum, loco Aſinorum, de quibus heic ſermo eſt, in ſacris placentis repræſentatus fuerit. a) Animadvertendum quoque eſt Hippopotami formam colligatam conſpectam fuiſſe, ut victima immolanda devotaque indicaretur. Sic idem Scriptor p. 362. dixerat

a) Plutarchus de Iſide 371. *Simulacrum Typhonis Equus Fluviatilis;* conſentit Euſebius P. Ev. 3. Idem Plutarchus Ibid. *De Cicuribus animalibus Typhoni inertiſſimum tribuunt Aſinum, de feris ſæviſſima Crocodilum & Equum Fluviatilem.* De Crododilis autem hac arrepta occaſione adſcribam verba Aeliani H. An. 10. 20. *Crocodilos colentes Ombitæ, Aegypti populus, ſic hos venerantur, ut nos Deos Olympios. Contra Apollinopolitæ, Tentyritarum pars, ſagenis captos a Perſeis ſublimes ſuſpendunt, atque eos primum flebiliter gementes verberibus affligunt, dein iis conciſis veſcuntur.* Conf. idem 1ρ. 24. ubi obſervandum duco, Apollinopolitas, ut apud Apollinem Typhonis inimicum gratiam inirent, Crocodilos diris iſtis ſuppliciis adfeciſſe, quæ erant velut totidem ſacrificia.

xerat, Aſini ligati imaginem in placentis fuiſſe; pari modo p. 363. aſſerit, *Obſignatores ſacrificandis bubus impreſſiſſe Sigillum, cujus character, homo genua ſubmittens, manibus poſt tergum reductis, jugulo enſe imminente. b)*

Oryx victima ordinaria Aegyptiorum, & pauca quædam de aliis Sacrificiis Caprini pecoris.

In Sacrificiis Aegyptiorum præter Porcos, Aſinos, Hippopotamos, vel illorum effigies,

b) Imagines iſtæ ſacrificandis bubus impreſſæ, combuſtæque ruforum hominum cereæ formæ, de quibus ſuperiore diximus loco, evidentia ſunt veſtigia humanarum victimarum, antiquiſſima ætate oblatarum. Huc porro referendus corruptus, & a Cl. Jablonſkio Panth. 2. 75. reſtitutus Athenæi locus, qui Lib. IV. 172. hæc habet: *Seleucus ait, Panyaſin primum placentarum mentionem feciſſe, ubi de victimis humanis, in Aegypto olim offerri ſolitis, narrat, dicens, loco hominum immolatorum poſtea placentas multas oblatas fuiſſe.* De permutatis cruentis crudelibusque ſacrificiis præcipue legendus Cl. Marſhamus Sæc. XI. Conferendus Βȣ̃ς εἶδος Πέμματος Κέρατα ἔχοντος apud Heſychium, ejusdem forte originis, & quæ de hac oblatione ſacra profert Meurſius de Reg. Athen. 1. 9.

figies, præter rufos boveſque, velut totidem Typhonis ſigna, immolabantur etiam Oryges, neque alia, ut videtur, de cauſa, quam quia infeſtis Numinibus dicati fuere.

De hoc Animali ita ſcribit AELIANVS Hiſt. An. 10. 28. *Serapidis cultores Orygem male oderunt, quod ad Solis exortum converſus, ſicut Aegyptii ferunt, alvum dejiciat.* Huic traditioni, cujus generis Aegyptii plures fingebant de ingratis animalibus, aliam addit HORVS *c*) ejusdem levitatis, dicendo: *Impurum celeſtumque notantes animum Orygem pin-*

c) Hierogl. 1. 46. Ejusmodi naturales repugnantias belluarum infeſtarum cum gratis Solis Lunæque Numinibus, conſenſusque cum aliis, legimus ubique apud illos, qui magno numero Aegyptiorum fabulas ſequuti ſunt, in quibus aliquando, rariſſime tamen, veri quid deliteſcebat. Addendæ aliæ traditiones de eodem animali, apud Plinium 2. 40. Photium Bibl. 242. Plutarchum, ipſumque Horum, quæ occurrunt in ſcriptis Cl. Gesneri atque Bocharti, qui multis de hac bellua diſputaverunt; de qua plurima, ſed incertiora, legimus apud Jonſtonum H. N. 81. ex Ariſtotelis, Oppiani, Aldrovandi, aliorumque ſcriptis.

Digitized by Google

pingunt, quia ad ortum accedente Luna intentis in Deam oculis vociferatur. Hinc ſecundum eundem Scriptorem *Sacerdotes unam hanc pecudem comedebant, etſi nullum ei impreſſum eſſet ſigillum;* quia totum hoc odioſiſſimum minime genus, gratis Diis ſacrum, victui ſacrificiisque ſemper aptum fuit.

Fera atque immanſueta iſta bellua, deſertas vaſtasque inhabitans ſolitudines, Typhoni valde conveniens, ex agreſtium caprarum familia fuit, eoque penitus modo, quo nobis a vetuſtioribus recentioribusque naturalis ſcientiæ ſcriptoribus depingitur, occurrit in Iſiacæ Menſæ primo ſegmento, Aræ impoſita, *d*) adſtante Sacerdote, qui illam enſe jugulare videtur. *e*)

Ad-

d) In Tabula Iſiaca & hæc Ara, in qua Oryx mactatur, aliæque plures occurrunt, ſimplicioris ſolidæque formæ, quam Aegyptii ubique adhibuerunt. Vetuſtiores hujus gentis Aræ, ſacræque menſæ, conſpiciuntur apud Nordenium, 125, ubi, quod inſolitum non videtur, ſacri adſunt ſerpentes; apud Cl. Martin *Explic. de divers monumens ſinguliers*, p. 145. Ill. Com. de Caylus

T

Adjungendus Aelianus de Nat. Anim. X. 23. qui ait: *Coptitæ Capreas f) feminas conſecrant, & religioſe colunt, easdem Iſidi in amore & deliciis eſſe exiſtimant, mares autem immolant. g)*

Du-

T. 4. 3. T. 5. 12. T. 6. 15. Cl. Khell Suppl. ad Num. Imp. pag. 9. Montfaucon *Suplém.* 51. 1. & in fine Antiquitatum Middletonianarum. Recentiora Aegyptiorum Altaria, adſtantibus Ibidibus, ardente igne, quem Sacerdotes flabellis ſuſcitant, videmus apud eundem Montfauconium 2. 135, & præcipue in Herculanenſibus Monumentis.

e) Cl. Jablonskius in Conjecturis de Tabula Bembina, inſertis Sexto Berolin. Miſcell. Volumini, exiſtimat, Sacerdotem hoc animal cum cornibus ſuis, ad ſecandum aptis, mactare; nos cultrum ſacrificiorum repræſentari putamus, illi inſtrumentum quodam modo ſimile, quod occurrit in manu Sacerdotis Aegyptii in laudatis Herculanei picturis.

f) Δορκάδας, ſilveſtres capras teretibus, brevibus, perfecteque annulatis cornibus.

g) Aelianus heic animalia ſacra, grataque, ab iis diſtinguit, quæ victimarum loco offerri potuerunt. Uti vero in ſacrificiis ex bubulo, ſic & ex caprino genere, ſolos mares occidere licitum fuit; qua in re, ex nonnullorum men-

Dubium mihi eſt, an omnes Hirci, tam truculenti Oryges, agreſtes Capreoli, quam cæteri, etſi Pani in Mendeſia provincia conſecrati, forte ſigna fuerint malorum Numinum; huc nos ducere videntur Πάνικα veterum terriculamenta; Fauni, Sylvani, Syleni, Satyri; infeſti Genii hircina apud antiquos forma repræſentati; *h*) feræ Græco-

te, utilitati publicæ conſultum fuit, quod parum placet, præcipue cum Herodotus tradat, capras a Thebanis immolatas fuiſſe, quo nonnulli ſacrificium Iſiacæ Tabulæ, de quo ſermonem fecimus, referendum eſſe exiſtimant.

h) Dicemus breviter de obſcuriſſimo loco Levit. 17, 7. ubi Moſes vetat, ne Iſraëlitæ Aegypto egreſſi, locis profanis, ſacrificia ſua offerant *Seyrim*, piloſis, cum quibus ſcortati fuere, ſeu quibus cultum Deo illorum ingratum exhibuere. De quo ſic ſcribit Maimonides *Mor. Neb.* 3. 46. *E Zabiis*, quorum placita utique Aegyptia, *quidam fuere, qui Dæmones colebant, & eos exiſtimabant habere formam hircorum, unde etiam Dæmones Seyrim, hoc eſt hircos adpellabant, quæ opinio Moſis ævo jam longe lateque diffuſa fuit, ſicut ait Levit. 17, 7. Et non ſacrificabunt ultra ſacrificia ſua La-Seyrim, hircis, i. e. Dæmonibus ita adpellatis.* In dubiis habeo, utrum vetetur cultus malis Numinibus ſub caprorum imaginibus exhibitus, vel, quod minus arridet, flagi-

Digitized by Google

rum Capræ diris devotæ; *Azazel* totus Aegyptius, quo nomine in veteri Hebræorum lege Hircus mali averruncandi gratia vexatus, & in Sectis, quæ primis Chriſtianæ Religionis temporibus Aegyptiorum, Judæorum, Chriſtianorumque placita miſcuere, nefaſti Dæmones indicabantur. Huc tandem faciunt illi Veterum, qui in Capricorno Zodiaci, Aegyptiorum more ex piſce, certiſſimo Typhonis ſigno, & ex Hirco conjuncto, Typhonem depictum fuiſſe, obſcurioribus docuere verbis.

Piſces in Sacrificiis ordinariis aliquando, ut videtur, oblati.

In Monumento Aegyptio Romano vulgato ab Augustino, Maffeio, atque Montfauconio, *i)* Sacerdotem conſpicio ſacram menſam, variis oblationibus refertam,

tioſæ libidines, quæ in Mendeſii hirci ſacris locum habuere; ſed minime dubitari poteſt, heic de Aegyptiorum ritibus, ad quos Judæorum ſtipites ſemper proclives fuere, ſermonem eſſe.

i) Ant. Explic. 2. 140. 10. Nova Editio Gemmarum Auguſtini & Maffeii T. 2. 13.

tam, tenentem, & præcipue Anſeres, Piſcesque. Si hoc monumentum etſi recentius contemplor, perpendoque, in eo anſeribus, vulgatiſſimis antiquis Aegypti victimis, piſces junctos eſſe, concludo, hos forte etiam ad ordinaria regionis iſtius Sacrificia pertinuiſſe; qua de re, ut de omni Aegyptiorum erga Piſces religione, nunc brevius diſputare animus eſt, cum illi, qui hoc argumentum pertractarunt, haudquaquam naturalis ſcientiæ, quæ tamen heic maxime requiritur, curioſi fuerint.

Adſcribendus autem ſtatim PLVTARCHVS de Iſide 353, qui ait: *Sacerdotes Aegyptii omnibus abſtinent Piſcibus; k) primi autem menſis nono die, cum reliquorum Aegyptiorum unusquisque ante fores domus ſuæ aſſum*

 piſcem

k) Conſentit Herodotus 2. 102. Chæremon apud Porphyrium de Abſtin. 4. 7. & Plutarchus Quæſt. Sympos. VIII. 8. dicendo: *Non modo apud Aegyptios ſolum, & Syros*, (notus horum cultus piſcium, de quo legendus Seldenus occaſione Dagonis) *ſed & apud ipſos Græcos ſanctimoniæ pars fuit piſcibus abſtinere.*

piſcem edat, Sacerdotes non guſtant, ſed ante januam comburunt piſcem. l)

Singularis hujus ritus rationem ſubjungit idem Scriptor dicendo: *Hujus rei duplicem reddunt rationem, ſacram & ſubtilem, quam infra adducam, concinentem iis, quæ de Oſiride & Typhone pie philoſophabantur; alteram manifeſtam, & quæ in promptu eſt, Piſces cibi genus eſſe non neceſſarium.* Priorem, eamque abſque omni dubio veriorem, hujus moris cauſam idem Plvtarchvs diverſis expoſuit locis, ac præcipue Sympos. Quæſt. 8. 8. p. 729, ubi de eo diſputat, *Cur Pythagoræi in cibis ſuis præ omnibus aliis animalibus Piſcibus abſtinuerint;* m) quod inde derivat, quia Philoſophus iſte perpetuus Aegyptiorum imitator fuit, horum autem Sacerdotes Piſcibus Saleque abſtinebant, ne cibum aliquem mari, ipſis odioſo, affinem caperent. Idem quo-

l) Religioſa, ſolennis, ſignificativa hæc Piſcium combuſtio, rato peracta tempore, ad ordinaria ſacrificia quodam jure referenda videtur.

m) Lil. Gyraldus ad Symb. Pythag. Ἰχθύων μὴ γεύεσθαι.

quoque Scriptor, de Iſide p. 363, aliisque locis, affirmat, Aegyptios mare abominatos fuiſſe, Salem Typhonis ſpumam vocaviſſe; mare nonnunquam Typhonem in ſacris ſuis fabulis appellaſſe, in quod Nilus incidit, perit, & diſtrahitur; hæc eſt ſacra illa traditio ex Oſiridis, Typhoniſque hiſtoria explicanda, quam PLVTARCHVS ſuperiore loco ambiguo modo indicaverat. *n*)

Ex his jam conſtare videtur, fere omnes Piſces pleriſque Aegypti urbibus ac provinciis inviſos fuiſſe, Typhoni, Maris Deo, Malo Numini tributos, ſacrificiisque aptos. Eandem rem confirmant HORVS Hierogl. 1. 44. & CLEM. ALEXANDR. Strom. 5. 566, qui tradunt, Aegyptios odium piſce repræſentaviſſe. *o*)

n) Marinis Piſcibus in his ſuperſtitionibus illi annumerati fuiſſe videntur, qui ex Nilo in Mare tendebant.

o) In Hieroglyphicis notis Piſces ſæpius occurrunt; huc & referendus Capricornus, ac Piſces Zodiaci, in antiquo Obeliſco apud Procockium obvii; forte et ceteri Sphæræ noſtræ Piſces. Notandum quoque videtur, Lucianum,

Digitized by Google

Huc porro referendus Plutarchus de Iſide 358, qui ait *Iſidem inveniſſe omnia Oſiridis diſcerpti membra præter genitalia, quæ Typhon in fluvium projecit, ubi Lepidotus, Phagrus, & Oxyrinchus ea devoravere, quos piſces Aegyptii propterea præ ceteris ut nefaſtos abominantur.* p) *Interim Iſis alia confici curavit, & ſub Ithyphalli nomine conſecravit, in cujus honorem Aegyptii quotannis ſolennia agunt.* q)

Di-

qui cultum animalium ex ſignifero circulo derivandum exiſtimat, tradere, eos Aegyptiorum, qui piſcium ſidus ibi collocavere, illis abſtinuiſſe. Aſtrol. T. 2. 363.

p) Ἀφοσιοῦσθαι. Cl. Semlerus *Erleuterung der Egypt. Alterthümmer*, p. 18, Strabonis aliorumque antiquorum auctoritate permotus, contra citati loci connexionem, ac contra veram notionem hujus vocabuli, ex ipſo Plutarcho multis demonſtratam a Budæo p. 287, ita vertit: *Welche Fiſche daher am meiſten in heiligem Anſehen ſtehen.* Melius Latinus, alias non ita accuratus Interpres, & eruditiſſimus Amiot, qui hæc habet, *pour raiſon de quoi Iſis les abomina pardeſſus tous les autres Poiſſons.*

q) Hæc videntur illa Nili, ſeu Oſiridis ſolennia, quorum mentionem facit Palladius Hiſt. Laus. c. 52. dicendo: *Erat autem in uno illorum pagorum Templum, magnitudine præſtans, inque eo ſimulacrum non parum illuſtre; ſtatua vero erat ex ligno fa-*

Digitized by Google

Dicendum itaque videtur de tribus his inviſis Piſcibus, qui omnes Typhoni aliquo modo convenire queunt. Lepidotus a rubeſcente Cyprino non diverſus, *r*) forte ob ipſum iſtum colorem huic Numini tributus fuit. Is vero ſecundum HERODOTVM 2. p. 115, & STRABONEM 1166, omnibus Aegyptiis ſacer fuit, quod veriſimile non videtur; dubitari autem nequit, illi in urbe cognomini divinos honores tributos fuiſſe.

T 5 Pha-

bricata, eamque ſolenni pompa per pagos circumferebant impii Sacerdotes, ceremoniam hanc ſacram in honorem aquæ Niloticæ peragentes. Heic iterum veſtigia reperimus antiqui moris, ſacra ſimulacra circumgeſtandi. De iſtis autem Nili feſtis diebus præter Palladium ſcripſere plurimi, & præcipue Nicetas in Comment. ad G. Naz. Or. 39.

r) Athenæus Deipnos. L. VII. Hunc optime deſcripſit. Cl. Haſſelquiſt Itin. Palæſt. IV. 94. Anton. Liberalis Metam. 28. tradit, Diis in Aegypto varias formas aſſumentibus, Martem Lepidoti faciem induiſſe, quod ex Typhonis Martisque cognatione explicarem, niſi ſquamæ, a quibus Lepidotus nomen habuit, forte huic rei originem præbuiſſent. Secundum alios Venus ex mari nata piſce latuit, quod ex affinitate Deæ iſtius cum Nephty, Aegyptia Typhonis conjuge, educendum videtur.

Phagrus, vel ob voracitatem, a qua nomen traxit, vel iterum ob rubrum colorem Typhoni ſacer Aegyptiisque inviſus eſſe potuit, idem enim piſcis eſt atque ille, quem recentiores Ichtyologi Sparum rubeſcentem vocant. *s*) Hunc in antiquo Aegyptio Monumento conſpicimus apud Montfauconium 2. 52. Ipſe autem tum apud Syenitas, tum in provincia, cui nomen dedit, cultum aliquem habuit. *t*)

Oxyrinchus Artedio, qui omnium optime de Piſcibus ſcripſit, Lucius eſt, *u*) vo-

s) Idem & eſt Ερυϑρινος, Rubellio, quo Pythagoras præcipue abſtinendum eſſe dixit.

t) Clem. Alexandr. Adv. Gentes 25. Plutarchus p. 353. & Aelianus Hiſt. An. X. 19. qui ait: *Aegyptii Syenitæ ſacros piſces Pagros dicunt, atque Elephantinem ſic nuncupatam incolentes Mæotas piſces. Cauſa vero, cur hujusmodi piſcium genus hanc apud eos populos venerationem habeat; & magnam religionem poſſideat, ex eo profecta eſt, quod adventantem Nilum hi præcurrentes futuram aquam prænuntiant, & mirifica quadam vi ejus acceſſionem præſentientes ex ſua anteceſſione ſuſpenſas Aegyptiorum mentes optima ſpe recreant. Idcirco etiam eo honore eos adficiunt, quia ajunt, eos nullum ſui generis piſcem comedere.*

Digitized by Google

u) vorax aquarum tyrannus, Typhoni conveniens; hunc vetuſtum Aegyptiorum monumentum, ab Ill. Comite DE CAYLVS 5. 12. vulgatum, nobis repræſentat, acutiore illo roſtro, a quo nomen habuit, inſtructum. De cultu vero hujus piſcis apud Oxyrinchitas multa habent antiqui Scriptores, CLEM. ALEXANDRINVS Adv. Gentes 25, STEPHANVS BIZANT. in hoc vocabulo, & AELIANVS Hiſt. An. 10. 46. qui ait: *Oxyrinchus Nili alumnus; ex roſtro & forma ejus nomen habens, ut adparet; ab eo etiam Præfectura in Aegypto, ubi idem piſcis colitur, adpellatur. Hamo vero captum piſcem nullum comederunt homines illi, metuentes, ne quando is piſcis, apud eos ſacer & venerandus, eodem fuerit hamo trajectus. Atque cum piſces retibus comprehenduntur, diligenter etiam atque etiam perſcrutantur, an forte imprudens in ea piſcis ille inciderit; malunt enim nihil piſcium capere, quam hoc retento maximum piſcium numerum adſe-*

u) Aliter ſentit Cl. Kleinius. Sicardus in *Nouv. Memoires des Miſſions*, 6. 246. ait, Oxyrinchum hodie in Aegypto *Quecboé* vocari. Coptis in Scala Kircheri 171 dicitur *Delphax*.

adſequi. Eum accolæ dicunt ex Oſiridis vulneribus eſſe prognatum, Oſirin autem ſentiunt eundem eſſe, qui Nilus. Addendus Strabo Lib. 17. p. 1166. qui ait: *Oxyrinchus Civitas & Præfectura eodem nomine; heic Oxyrinchus colitur, Templumque habet, quamvis etiam ceteri Aegyptii omnes Oxyrinchum colant, ſunt enim quædam animalia, quæ Aegyptii univerſi colunt, ut ex Aquatilibus duo, Lepidotus & Oxyrinchus.* Huic Strabonis minime probabili effato variis locis contradicit Plutarchus, x) & præcipue pag. 380 de Iſide, quem eo magis adſcribendum duco, quod opinionem meam egregie confirmat, de victimis ex animalibus eo fine vexatis oblatisque, ut Numina, quibus conſecrata erant, provinciæque illa colentes, hoc modo punirentur. *Noſtra tempeſtate*, inquit laudatus Scriptor, *cum Cynopolitani piſcem Oxyrinchum ederent, Oxyrinchitæ canes comprehenſos ac mactatos victimæ in morem comederunt, eaque de cauſa conflato bello, cum ipſæ gravi-*

x) De Iſide p. 353. *Piſcibus autem marinis non omne, omnibus, ſed quibusdam abſtinent, ut Oxyrinchitæ hamo captis, quia enim Oxyrinchum piſcem venerantur, metuunt, ne hamus aliquando ab iſto tractus polluatur.*

gravibus ſeſe damnis adficerent Vrbes, tum adfectæ a Romanis pœnas iis infligentibus fuere.

Legimus porro Aegyptios Anguillæ, *y*) in religionibus ſuis locum aliquem conceſſiſſe; de qua re duo exſtant ATHENAEI loca, haudquaquam omittenda; *z*) priore Antiphanes Aegyptios deridens ait:

Cetera prudentes eſſe ac intelligentes ajunt
Aegyptios, quod Diis parem, (ἰσόθεον) Anguillam exiſtimant.
Multo enim magis Diis eſt honoranda;
Precibus enim ſolis ac votis propitiamus Deos,
At Anguillas drachmis cum minimum duodecim
Vel pluribus impenſis odorari vix licet,
Adeo ſancta prorſus eſt hæc beſtia.

Altero loco Anaxandrides Aegyptium ita alloquitur:

Tu

y) Hoc Murænarum genus Nili piſcibus adnumerant & deſcribunt Granger *Voiage d'Egypte* 239. & Haſſelquiſt 4. 67. Coptis in Scala Kircheri 171. dicitur *Ti-Phoucaſi.*

z) Deipnos. VII. 299.

Tu Bovem adoras, illum ego Diis ſacrifico;
Maximum eſſe Numen Anguillam putas,
Nos maximum obſonium.

HORUS Hierogl. 2. 98, ſententiæ noſtræ de Piſcibus plerisque Aegyptiis ingratis, malisque Numinibus conſecratis, occaſione Anguillæ propius accedere videtur dicendo: *Omnibus infeſtum hominem, & qui ceterorum conſortium fugiat, oſtendere volentes, Anguillam pingunt; hæc enim cum nullo alio Piſce commercium habere deprehenditur.*

Ratio, ob quam Anguilla ſacris Aegyptiorum allegoriis apta fuit, mea quidem ſententia ab affinitate ejus cum Angue repetenda eſt. *a*)

— — *Anguilla longe cognata colubræ.*

Serpentes autem nonnulli Aegyptiis, ob perpetuam, quæ illis tribuebatur, iuventam, ſacri, aliis ob noxias vires infeſti fuiſſe videntur; atque hinc forte malo Numini in iſta regione, ut in multis aliis dicati. *b*)

Huc

a) Juvenalis 5. 130.
b) Cl. Schwarzius de lapſu primorum humani generis parentum a Paganis adumbrato.

Digitized by Google

Huc nos, ut plura alia omittam, fabula Pythonis, ſerpens Heſperidum poma ſervans, ipſumque Typhonis nomen, ex Coptorum Lingua explicatum, aliquo modo ducere poſſent. *c*)

De Lato, Piſce in Latopolitana provincia culto, quem Clar. HASSELQVIST *d*) Per-

c) In Manuſcripto Grammatico Coptorum Libro Biblioth. Reg. Lut. Paris. quod Aegyptiorum vocabula ex Arabum Græcorumque linguis interpretatur, pag. 56. inter repentia animalia occurrrit Ἔχιδνα, Vipera, quæ Aegyptiace *Tebbo* dicitur; cui Etymologiæ, ut incertæ, inhærere nolo; quamvis diſſimulari nequeat, nomina Aegyptiaca, præcipue quoad vocales litteras, apud exteros valde immutata fuiſſe.

d) Itin. Palæſt. p. 404. Athenæus p. 312. *Nouveaux Mémoires des Miſſions* p. 245. Pococke 202. Kircherus Scalæ Copticæ p. 170 hæc habet: *Pi-Koulbot Lucius, vel Latus;* ubi notandum, heic & ubique in hoc Indice, qui vocabula Coptorum ex Arabum lingua explanat, apparere Kircheri, qui illud vulgavit, rudem ignorantiam, ac expudoratam fraudem; nam Ἐξηγητικὰ, quæ Lutetiæ Pariſiorum in uſus meos contuli, multæque aliæ nunc non tangendæ rationes, mihi certiſſime perſuaſerunt, Kircherum non ſolum ſæ-

Percam Aegyptiam vocavit, optimeque deſcripſit, legendus STRABO L. 17. p. 1167, qui ait hunc piſcem non omnibus Aegyptiis, ſed tantum cognomini præfecturæ ſacrum fuiſſe.

De Phyſa, Nili quoque piſce, *e*) adſcribemus verba AELIANI Hiſt. Anim. 12. 13. *Phyſa Aegyptius Piſcis eſt admirabili natura præditus; nam eum notiones habere ferunt, quando Luna augeatur & diminuatur, ejusque jecur cum Luna pariter decreſcere, pariterque recreſcere, corporisque habitu modo eſſe optimo, modo gracili & tenui. f)*

De Mæoti, alio Nili piſce, *g*) legendus idem AELIANVS Lib. 10. 19. qui tradit

eum

piſſime Arabum vocabula non rite intellexiſſe, ſed eundem nonnunquam fraudulenter antiquiori huic libro, genuinæ Aegyptiacæ linguæ ſubſidio, alia ex ingenio ſuo, ut pura ipſiſſimaque vetuſti ſcriptoris verba addidiſſe, ſic ut hoc monumentum, quo viri magni nominis decepti fuere, non ſemper eam, quæ illi adhibetur, mereatur fidem.

e) Athenæus p. 312. Strabo p. 118.

f) Aegyptius de Mure Araneo, Cynocephalis, Felibusque, affinia tradere ſolebant.

g) Athenæus Lib. VII.

Digitized by Google

eum in Elephantine, ut Nili præcurſorem, cultum fuiſſe.

Longius jam progreſſus ſum, quam propoſitum poſtularet argumentum, ſed de Sacrificiis ex piſcibus agenti congruum videbatur, loca veterum de incertiſſima obſcuriſſimaque iſta re accuratius inſpicere, ex quibus adparet, contradictiones heic plurimas ſupereſſe, non modo apud PLVTARCHVM, qui varias traditiones colligens ſæpe ſecum pugnat, ſed & inter alios antiquorum; ſunt enim, qui tradunt, Aegyptiis pleroſque piſces odioſos fuiſſe; alii eosdem divinis honoribus exceptos fuiſſe autumant; *h*) qui

h) De ſacris Aegyptiorum Piſcibus adſcribendus Herodotus L. 2, 117, qui de Aegyptiis ait: *Victitant — ceteris volucribus & piſcibus, qui illis adſunt, præter hos, qui ab eis pro ſacris recepti ſunt, partim aſſis, partim elixis.* Minutius Felix, Octav. de Aegyptiis: *Nec eorum ſacra damnatis inſtituta, Serpentibus, Crocodilis, belluis ceteris, & avibus, & piſcibus, quorum aliquem Deum ſi quis occiderit, etiam capite punitur.* Addendus Juvenalis Sat. 15. 7. de Aegyptiorum cultu:

> *Illic cæruleos, hic piſcem fluminis, illic*
> *Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.*

V

qui diſſenſus forte tolli poteſt, ſi ſtatuamus fere omnes piſces Aegyptiis inviſos fuiſſe, maloque Numini dicatos, quamvis nonnulli quibusdam regionibus ſacri; eodem modo Aegyptiorum religionem erga cœpas alliaque ſingulari ſcriptione explicare tentavi; eadem videtur ratio cultus Crocodilis & Hippopotamis exhibiti, damnoſis animalibus nefaſtisque, quæ plerisque Aegyptiis odioſiſſima, divinos tamen honores habuerunt in illis provinciis, quæ Typhonem, cui conſecrata fuerunt, venerabantur.

Anſeres in Sacrificiis ordinariis oblati.

Reſtant Anſeres in Sacrificiis ordinariis Aegyptiorum adhibiti, quos quidem inviſos, malisque Numinibus dicatos fuiſſe, nominatim nemo tradidit, ſed ſic ex comparatione ceterarum victimarum iudicamus; quo, ſi levioribus coniecturis ludere placeret, quod a conſuetudine noſtra rationes ponde-

randi,

Heic quidam legunt Aeluros, alii cœruleos marinos piſces, a fluviatilibus diſtinctos, intelligendos putant.

randi, ſimpliciſſimasque iis, quæ ex longinquo petitæ ſunt, præferendi, multum abeſt, nos infauſtus avis iſtius ſtridor forte perducere poſſet, præcipue cum ſint Scriptores, *i*) qui quodam modo tradant, ingratum Aſini ruditum, ex cauſis eſſe, ob quas hoc animal nefaſto Typhoni dicatum fuit. *k*)

De Anſeribus in Sacrificiis ordinariis Aegyptiorum oblatis, ſic ſcribit HERODOTVS 2. 45. p. 106. *Aegyptiis nullam pecudem fas*

 eſt

i) Aelianus H. An. 10. 28.

k) Toto hoc capite de Anſerum victimis, de vulgaribus ſermo eſt Anſeribus, nam Tadorna, ſeu Vulpanſer, Avis ſimo roſtro, compreſſa fronte, maculatoque ventre, Aegyptiis ſecundum Herodotum 2. 115. Aelianum H. An. 10. 16. Horum Hierogl. 1. 50, ſacra fuit, ob ſummam erga pullos caritatem. Videmus quoque apud Sponium in *Recherches curieuſes d'Antiqu.* 124. & Montfauconium *Ant. Expl.* 2. 125. Harpocratem, Vulpanſeri, quem Sponius perperam Struthionem eſſe exiſtimauit, inſidentem; idque forte, quia hæc Avis Iſidi tenerrimæ Harpocratis matri ſacra fuit, ob ipſam hanc erga ſuos benevolentiam, de qua præter laudatos veterum Scriptores, ex recentioribus etiam teſtem habeo Belonium.

Digitized by Google

eſt immolare, præter ſues, boves mares, dummodo mundi ſint, & Anſeres. l) Ex hoc loco adparere videtur, Anſeres huic genti nullo modo ſacros cum ruſis Typhonique dicatis bobus, & cum infeſtis porcis vulgo oblatos fuiſſe. Conſentiunt vetuſta monumenta, in quibus

l) Idem Lib. 2. p. 202. de victu Sacerdotum Aegyptiorum hæc habet: *Neceſſarium non eſt, ut ſibi de ſuo victum parent, ſacræ enim menſæ ad eos pertinent, unde quilibet eorum quotidie cumulate accipit bubulas anſerinasque carnes.* Ex quibus verbis, aliisque plurimis rationibus conficitur, Sacerdotes ex victimarum reſiduis, quæ præcipue bobus anſeribusque conſtabant, victitaſſe; de qua re jam egimus ſuperiore loco; adjungendi tamen de eodem argumento Porphyrius de Abſtin. 4. 9. 155. ac Eusebius Præp. Ev. III. 12. 117. & 3. 4. 94. ubi ait: *Nam & homini quoque circa pagum, quem Anubin vocant, divinos honores tribuunt, eique ſacrificium offerunt, & impoſitas altaribus victimas adolent; ille vero paulo poſt ea tantum comedit, quæ ſibi ex privato penu tanquam homini parata & adpoſita fuerunt.* Nolui in ſcriptione de ſacrificiis Aegyptiorum ſingularem iſtum locum omittere, qui mihi eo tenebricoſior videtur, quo certius credo, Aegyptios nunquam potentes viros heroesque Deorum inſtar coluiſſe; nihili enim facio eam, quæ hac de re legitur, Magni Alexandri Epiſtolam, quam plures Eccleſiæ Patres exhibent; quamvis diſſimulari nequeat, doctrinam de Diis olim viris

quibus ſæpius anſerum victimas conſpicimus. Huc pertinet Aegyptium monumentum vulgatum in *Mémoires de Trevoux* 1764. 89. Et aliud delineatum a P. LVCA in ſuperiore Aegypto, iterumque editum a MONTFAVCONIO *Ant. Expl. Après* 51. 2. ubi mactatus Anſer in ara jacet; huc referendum anaglyptum apud NORDENIVM 125, ubi Anſer non modo inter animalia comparet, quæ a Sacerdotibus circumducuntur, poſtea, ut videtur, immolanda; ſed ibidem avis iſta inter varias illas oblationes occurrit, quæ certiſſime ſacrificiis in ſacris hujus monumenti menſis deſtinatæ ſunt. *m*) Sed non modo in ipſa Aegypto, verum etiam in aliis regionibus, ad quas hæc Religio traducta eſt, Anſeres immolati fuere; auctor enim eſt PAVSANIAS (in Phocicis p. 881. KHVNII), a *Ty-*

V 3 *thoreis*

claris fortibusque, poſtea demum cultis, longe diverſam eſſe a placito illorum, qui putant, Aegyptios forte ut in diverſis urbibus varia animalia Numinibus conſecrata, ſic in Anubidis civitate hominem tanquam Dei alicuius ſignum coluiſſe.

m) Anſeris antiquum ſacrificium occurrit in marmore Aegyptio apud Ill. Com. De Caylus T. VII. 1.

Digitized by Google

thoreis Iſidi Anſeres & Meleagrides, n) *ritu Aegyptio offerri.* Apud Romanos quoque in Aegyptiis ſacris Anſeres ſacrificabantur Oſiridi auctore Juvenali, qui Sat. VI. 540. ita ſcribit:

Vt veniam culpæ non abnuat, anſere magno
Scilicet & tenui popano corruptus Oſiris.

Offerebantur & Iſidi, ſecundum Ovidium Faſt. 1. 453. o)

Nec

n) Avis iſta, de qua conſulendi Ill. Fontanini in Achate Iſiaco, P. Marga in *Lettres Edifiantes des Miſſionaires* T. 20. p. 363, & Haſſelquiſt Itin. Palæſt. 274, in Tabula Bembina, aliisque Aegyptiorum monumentis, ſæpiſſime occurrit, Iſidis caput ornans, cui, ut videtur, dicata fuit; unde & Græcorum de Ave iſta fabulæ explicandæ ſunt. De eadem ita loquitur Abenephius Arabs, de Servitute Aegyptiaca, apud Kircherum Oedipi Aeg. T. 3. 64. *Gallina Pharaonis eſt ſignum firmamenti.* vel ad litteram orbis orbium. Sed ſuſpectus mihi eſt Abenephius, ſuſpectiſſimusque, qui eum citat Kircherus.

o) Ariſtides Serm. 2. Apud quem Iſis ait ſe velle, ut ſibi duo ſacrificentur Anſeres. Idem Serm. 3. *Cum Iſidi & Serapidi quondam in Iſidis Templo ſacra feciſſem veſtibulum egreſſo Anſeres duo ſacri occurrebant.* Catalecta Scaligeri Menſe Novembri, ſi quidem locus iſte corruptionem nullam paſſus eſt:

Nec defenſa juvant Capitolia, quo minus Anſer
Det jecur in lances Inache laute tuas.

Conſentiunt iterum monumenta Aegyptio Romana, quæ frequenter Anſeres victimarum loco oblatos repræſentant. *p*)

EXTRAORDINARIA SACRIFICIA EX SACRIS ANIMALIBVS DESVMTA.

Vidimus Aegyptios beneficis Numinibus Sacrificia offerentes ex iis animalibus, quæ malignis conſecrata erant geniis; quia exiſtimabant, ſe hac ratione iſtos ſibi propitios reddere; ſed iidem, ut ſunt mobiles ſuperſtitioſorum ignavorumque hominum animi, *q*)

Carbaſeo poſt hunc artus indutus amictu
Memphidos antiquæ ſacra Deamque colit;
A qua vix avidus Siſtro compeſcitur Anſer,
Devotusque ſacris incola Memphiticis.

p) Montfaucon. 2. 135. & 140. Nova Editio Gemmarum Maffeji 2. 4. 13. Encarpi quoque Herculanenſium Monumentorum, ut alia multa omittam, nobis Anſerem oſtendunt Aegyptiis ſacris Templisque adſtantem, 2. 253.

q) Eſt aureus magni Plutarchi Liber de Superſtitione, qui collectis omnibus copioſe turbulen-

Digitized by Google

ſimulac regio illorum calamitatibus premebatur, derelinquebant Deos cuſtodes præſideſque ſuos, convertentes ſeſe ad illos, quibus has clades tribuebant, & quos jam victores putabant. Grata itaque animalia, benignis Numinibus dicata, quæ ut iſtorum imagines hactenus ſummis adfecerunt honoribus, jam ad dira trahebant ſupplicia; cujus rei teſtem habeo PLVTARCHVM de Iſide p. 380, qui ait: *Magno autem æſtu incidente ac moleſto, qui ultra modum adducat vel peſtilentes morbos, vel alias inuſitatas ac inſolitas calamitates, Sacerdotes quædam eorum, quæ coluntur, animalium, clam, altoque cum ſilentio in tenebricoſa ducunt loca,* r) *primumque minas intendunt illis, terroremque incutiunt; ſi malum duret, devovent atque immolant, tanquam hoc eſſet*

tum iſtum inſciorum, ſemperque ſecum pugnantium hominum, morbum explicavit; ex quo & ſequentia adſcribenda duximus: *Superſtitio mixta eſt diverſis animi adfectionibus, quod bonum eſt, malum eſſe exiſtimat; huic qui dediti ſunt, timent Deos, ad quos tamen confugiunt; blandiuntur illis, eosdemque injuriis adficiunt, obſecrant hos accuſantque.*

r) Conf. *Azazel* hircus averruncandi mali gratia in deſerta aſperaque deductus loca.

eſſet ſupplicium genii, aut alias expiatio magna magni mali. s) Nam & in Lucinæ Vrbe vivos combuſſerunt homines, ut Manetho ait, Typhonios adpellantes, & cinerem eorum ventilando diſſiparunt, ac aboleverunt; verum hoc palam factum eſt, & certo tempore, diebus canicularibus; devotiones animalium, quæ coluntur, non ſtatis fiunt tempeſtatibus, ſed accidente calamitate, vulgo ignotæ ſunt, occultatæque, niſi quando ſepulturæ celebrantur. t)

s) Porphyrius de Abſtin. 229, adſerere videtur, omnia ſacrificia cruenta malis Dæmonibus oblata fuiſſe; ſed huic Pythagoreæ ſententiæ non poſſumus accedere. Idem Lib. 2. tradit, de ſacrificiis averruncis nil guſtandum, & luſtrationem adhibendam, quia immunda exiſtimabantur; quæ opinio, poſtea late ſparſa, nobis Aegyptiæ videtur originis.

t) De Devotionibus antiquorum in magnis patriæ periculis legi meretur eruditiſſima Diſſertatio in *Mem. de l'Acad. R. des Inſcript.* 4. 264. *Des Devouemens des Romains pour la Patrie par M. Simon.* Hæc autem omnia nullum fere locum habere potuerunt, niſi in illis antiquorum Θεοκρατιαις, ubi potentiſſimum Sacerdotum genus ipſorum Deorum nomine cum ſumma auctoritate imperabat.

Tempus itaque, quo Animalia vulgo culta devovebantur, atque immolabantur, erant graves ſervidique æſtus, *u*) peſtilentes morbi, *x*) inuſitatæ calamitates; his enim temporibus Typho victoria uti, tantasque clades infligere putabatur, auctore eodem Plvtarcho de Iſide p. 371, qui ait: *Aegyptii omnes clades, omnes calamitates malas & damnoſas Typhonis opera partes, & effecta putant.*

Speciatim autem iſti Numini venti ignei peſtiferique tribuebantur; *y*) *Typhonem*, inquit idem

u) Conferendi ignivomi montes ex antiquorum mente Typhonis gigantumque ſedes. Notandum generatim, Aegyptios aquam Nili ipſis utiliſſimam benignis tribuiſſe Numinibus; igneos vero ventos, ipſis varios morbos nimiamque ſiccitatem adducentes, ac grati fluminis incrementis contrarios, maleficis dicaviſſe geniis.

x) Ex his, multisque aliis rationibus conſtat, Aegyptios, fereque omnes antiquas gentes, humanæ infirmitatis memores, Numinum ſuorum opera imperiaque in partes diviſiſſe, ſemperque illum Deum, quo maxime opus habebant, coluiſſe.

y) De urentibus Aegypti ventis legendi, *Thevenot Voiages* T. 2. *Wansleb Relation d'un Voiage d'Egypte.* 39. *Granger* 23. Heſychius V. Τυφων. He-

idem PLVTARCHVS, *cenſent eſſe omne ſiccum & igneum.* Et pag. 372. *Aeſtus, quo multa animalium, & e terra naſcentium corrumpuntur non Solis,* (boni Numinis) exiſtimant, *ſed Ventorum & Spirituum.* (Typhonis.) Ac pag. 366. *Typhonis inſidiæ & tyrannis vim ſignificant ſiccitatis prævalentis.*

Cum vero hæc Ἀποτρόπαια Sacrificia tantum offerrentur immoderatis tempeſtatibus, quibus atrociſſimæ calamitates populum premebant, accidit, quod PLVTARCHVS docet, ut non ſtatis, atque antea indicatis temporibus, ceterorum feſtorum dierum inſtar, locum haberent; ſed tantum inſtante urgenteque pernicie, ubi leve mortalium genus religioſiſſimum eſſe ſolet. *z)*

Anima-

ſiodus 869, qui noxios ventos ex Typhæo natos fuiſſe tradit; omitto multa alia a Cl. Jablonskio de hac re prolata Panth. Aegypt. T. 3.

z) Petronius:

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cœlo
Fulmina cum caderent, diſcuſſaque mœnia flammis,
Atque ictus flagraret Athos.

Digitized by Google

Animalia autem ea, quæ vulgo colebantur, grata, ab Aegyptiis Numinum loco ſpectata, in extraordinariis iſtis ſacrificiis abducebantur in tenebricoſa, ſolitariaque loca ibi punienda, mactanda, dirisque devovenda. Recepta enim fuit apud omnes gentes, quæ Numina ſibi adverſa ſtatuebant, opinio de bonis geniis in luce; de malis in deſertis horridioribusque regionibus habitantibus; qualia etiam fuere illa Aegypti loca, quæ Strabo Lib. XVII. Typhonia vocat. *a*)

Aegy-

a) De Tenebris malis geniis dicatis, ut de re notiſſima, diſputare nolo; ſed de late ſparſa doctrina de nefandis Dæmonibus, inculta, deſerta, opacaque loca, in quæ devotæ victimæ abducebantur, incolentibus, nonnulla adferre lubet; ex quibus patebit, Veteres non modo diverſa naturæ fata exiſtimaviſſe a variis pendere Numinibus, quod jam probavimus; ſed eosdem etiam putaviſſe diverſas regiones a variis inhabitari geniis. Jeſaiæ 13, 20. hæc leguntur de Everſione Babylonis: *Non incoletur in ſæculum, neque inhabitabitur in generationem & generationem; & paſtores non recubare ibi facient pecudes; ſed recubabunt ibi feles agreſtes, & replebuntur domus eorum clamoribus, ululatibusque, & habitabunt ibi Struthiones*, (Animal Φιλέρημον) *piloſique Dæmones*, (Seyrim,) *ſaltabunt ibi.* Jeſaiæ 34, 13. de devaſtatione Idumeæ: *Et aſcendent in palatiis ejus ſpinæ, & urticæ & carduus in mu-*

Digitized by Google

Aegyptii has beſtias primum minis terrefaciebant, ſi vero truci Numini non ſufficiebat

nitionibus ejus, *& erit cubile Draconum*, *paſcuum Struthionum*, *alternatim clamabunt feles ſilveſtres*, *& Thoës*, *& Dæmon ad ſocium ſuum clamabit*, (Ululatus Dæmonum, de quo multa apud veteres, ubi etiam conferendæ Faunorum voces Ciceroni commemoratæ, Nat. D. 2.) *ibi reſedit Strix*, *& inveniet requiem*. Baruchi 4. 35. de Everſione Babylonis: *Ignis a Deo ad eam ad multa tempora immittetur*, *diuque a Dæmoniis piloſis habitabitur*. Tobiæ 8. Dæmon fumo aduſti piſcis, in quo Aegyptiorum veſtigia deprehendo, fugatus in ſuperna Aegypti ſeceſſit loca, per quæ arenoſæ deſertæque indicantur regiones. Fragmentum Libri, in quo plura Aegyptia, & quod ſub Enochi nomine circumferebatur, apud Fabritium Cod. Pſeudep. V. T. 191. hæc habet: *Vade Raphaëlem*, *& Azaëlem liga*, *manus & pedes ejus vinculis conſtringe*, *& in tenebras mitte*, *aperi deſerti Dudael deſertum*, *& profectus illuc eum conjice*. Matth. 12, 43. Luc. 11, 24. impurus Spiritus diſcedit in ſterilia, aquis carentia loca. (δὶ ἀνύδρων τόπων, ubi videndus Grotius.) Apocal. 18, 2. de Babylone, legimus illam factam *fuiſſe domicilium Dæmonum*, *receptaculum omnium ſpirituum impurorum*, *cuſtodiam omnium avium immundarum infauſtarumque*. Sic dæmoniacos quoque legimus deſerta loca, ſepulcraque inhabitaviſſe. Addendus Maimonides Mor. Neboch. 30. *Scribunt Zabii in libris ſuis*, *quod propter iram Martis*, (mali Genii) *deſerta deſolataque loca careant aquis*, *& arboribus*, *& horrendi Dæmones illa incolant*. Pari modo apud Ae-

ciebat iſtud ſupplicium, quod ex calamitatibus nondum finitis judicabatur, tunc eas penitus neci dabant; & hæc omnia auctore Plvtarcho tacite fiebant ac occulte, more in pleriſque veterum devotionibus recepto. Quando autem hic Scriptor tradit Combuſtionem hominum in Lucinæ urbe, publice, ſacrorum animalium obtruncationem occulte factam fuiſſe, ſatis adparet, quod jam comprobavimus, ſacrificia ruforum hominum fuiſſe ordinaria benignis oblata Numinibus, diſtinguenda a victimis extraordinariis, quæ Aegyptii clam, inviti, cum ſacro ſuperſtitio-

gyptios omnes regiones, quæ vel ob aëris inſalubritatem, aut ſoli ſterilitatem, notæ fuerunt, Typhoni adſignabantur, auctore Cl. Jablonskio, Panth. Aeg. T. 3. De ſimilibus Græcorum, Romanorumque placitis, de Pane, Faunis, Silenis, Satyris, adſcribam Lucretium, qui Lib. IV. de deſertis ſolitudinibus hæc habet:

Hæc loca capripedes Satyros, Nymphasque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur,
Quorum noctivugo ſtrepitu, ludoque jocanti
Adfirmant vulgo taciturna ſilentia rumpi.
Cætera de genere hoc monſtra ac portenta loquuntur,
Ne loca deſerta ab divis quoque forte putentur,
Sola tenere.

Digitized by Google

ſtitioſoque terrore, iratis maliſque tribuerunt geniis. *b*)

Alius notatu digniſſimus locus de ſacris Aegyptiorum ceremoniis ad Typhonem ſpectantibus, exſtat apud HERODOTUM Lib. 2. quem heic commodius, quam ulla alia occaſione perpendere poſſumus; ille itaque ſic ſcribit: *In Papremi, quemadmodum alibi, & Sacrificia & res divinas peragunt; ſed quando Sol fit declivis, pauci Sacerdotes circa ſimulacrum occupati ſunt; plures eorum tenentes ligneas clavas ſtant in ingreſſu Templi; alii plus mille virorum, qui vota exſequuntur, cum ſingulis fuſtibus frequentes alia ex parte conſiſtunt.* c) *Porro-Simu-*

b) Adſcribenda verba Plutarchi, de Iſide 362. *Typhonis obſcuratam atque contritam potentiam, ſemianimem & inſtante interitu trementem, tum ſacrificiis quibusdam demulcent ac leniunt, tum contra in aliis ſolennibus deprimunt, ac contumeliis adficiunt, in his ignominioſe tractant rufos, aſinumque de præcipitio dejiciunt.* Ex hoc loco, quem jam ſupra laudavimus, iterum luculenter patet, Aegyptios pro varia Typhonis fortuna, illum, ſi victor placare, ſi ſuperatus, contumeliis adficere conſueviſſe.

c) Idem L. 2. Cap. 61. ait: *In Urbe Buſiri quomodo feſtos dies agant, ſuperius dictum eſt; verberantur enim poſt ſacrificium cuncti & cunctæ, multa ſane homin*

ſimulacrum in parvo ligneo ſacello deaurato exportant pridie in aliud habitaculum paucis illis, qui miniſterio ſimulacri relicti ſunt, trahentibus plauſtrum quatuor rotarum, quo vehitur ſacellum cum ſimulacro, quod intus eſt; hos ingredi prohibent ii, qui ante foribus ſtant. At illi, qui vota exſequuntur, opitulantes Deo, percutiunt hos, ſeſe ipſi defenſantes. Hic vehemens exſiſtit fuſtuaria pugna mutuo capita contundentium, multique ex vulneribus, ut ego opinor, pereunt, etſi Aegyptii quemquam mori negent, ajunt autem indigenæ conventum hunc inde inſtitutum, quia Templum hoc incolit mater Martis, & quia Mars nutrimentis depulſus eo venit, viriliter impulſus propoſito, ut cum matre commercium haberet; hunc vero maternos miniſtros, qui eum antea non viderant, per negligentiam non ſinere ingredi, ſed abigere; iſtum vero ab alia civitate adductis hominibus illos tutores aſpere mulctare, & ad matrem tandem ingredi potuiſſe; ab hac re hanc verberationem ſolennem eſſe Marti die feſto. d)

Ad

num millia, quem autem verberent, non eſt mihi fas dicere. Si Herodoti ingenium in animum revoco, conjicio, heic intelligendum ithyphallicum Numen.

d) Cl. Boulanger *Antiqu. Devoilée* L. 1. 6. hæc habet: *On voit encore au Japon des fêtes de la même*

Digitized by Google

Ad illuſtrandam ineptam fuſtigationem miniſtrorum boni malique Numinis, *e*) obſervandum eſt Martem, quem Papremitani coluere, a Typhone non eſſe diverſum, quo nos non modo utriusque Dei truculenta natura perducit, ſed & illud, quod auctore HERODOTO 2. 71. Hippopotamus infeſtiſſimum animal, notum Typhonis inſigne, in ſola Papremitana Provincia divinos honores acceperit.

Comparandus cum laudato HERODOTI loco alius DIODORI SICVLI Lib. I. p. 30. *Aegy-*

nature que celles de Pampremis, on promene en certains jours plusieurs Idoles eſcortées de gens à pied & à cheval armés de toutes pieces, & portant chacun un Dieu ſur le dos; on ſe bat à coups de pierre, de fleches, de lances & de cimeterres, & la victoire coute toujours beaucoup de ſang aux vainqueurs & aux vaincus. Tous ces differens uſages ne ſemblent devoir ſe rapporter qu'aux anciens combats des Dieux, dont les legendes de tous les peuples de la terre ſont remplies; il n'y a rien, qui ait été plus dans le goût de l'antiquité, que de les repreſenter par des Scenes réelles.

e) Comparandi aliqua ratione Sinenſes Numina fuſtigantes, ſi non præſtant, quod volunt.

Digitized by Google

Aegyptii e fabulis ſuis repetunt Iſidis ætate, qui Græcis Gigantes dicuntur, multorum corporum extitiſſe, quos monſtroſa in Templis ſpecie diſpoſitos, Sacrifici Oſiridis flagellant. f)

Per Gigantes g) heic Typhonem ejusque ſocios intelligimus, comparamusque eundem Plvtarchvm pag. 368 ita ſcribentem: *Alia etiam apud Aegyptios fertur fabula, Apopin* h) *Solis fratrem bellum moviſſe adverſus*

f) Dubitari poteſt, an flagella, quæ ſæpius in monumentis Aegyptiorum occurrunt, ut inſignia Sacerdotum Oſiridis, quamvis nonnunquam & ipſi Deo tribuantur, ob eam rem, de qua heic agimus, ſacris miniſtris addita fuerint. Dubium quoque videtur, an huc referendum ſit monumentum a Montfauconio *Suplém.* 2. 51. vulgatum ex anaglypto opere, quod in Aegypto ſupereſt, ubi Sacerdos puerulum tenet, cui vir ex adverſo ſedens flagellum oſtendere videtur, ut illum terreat. Comparandus etiam ſuperius citatus Herodoti locus Lib. 2. Cap. 61.

g) Forte aliquo modo conferri poſſunt *Nephilæi* Genes. 6. 4. & Numer. 13. 34.

h) Hoc vocabulum Gigantem notat, probante Cl. Jablonskio, qui etiam comparat *Relationes Miſſion. Dan. Contin.* 46. ubi de Brachmanum ſa-

Digitized by Google

verſus Jovem, Oſiridem vero a Jove, cui in hoſte debellando auxilium tuliſſet, ab hoc filii loco adoptatum, Bacchumque fuiſſe adpellatum. Hoc argumentum Cl. JABLONSKIVS Panth. Aeg. T. 3. multis illuſtravit commentariis; omiſit tamen ſequentia egregie huc facientia PLVTARCHI verba in ſcriptione de Superſtitione: Ἐι δὲ Τυφῶνές τινες ἢ γίγαντες ἦρχον ἡμῶν τὰς θεὰς ἐκβαλόντες, ποίαις ἂν ἥδοντο θυσίαις, ἢ τίνας ἄλλας ἱερεργίας ἀπήτων.

Hæc iterum omnibus Græcorum hiſtoriis de Typhæo, aliisque monſtris gigantibusque originem præbuerunt. *i*) Et ſic ubique fere

X 3 mirum

eris libris dicitur, quod contineant *precationes quasdam quotidie adverſus gigantes, cum Sole pugnantes, dum ſacrificium peragitur, recitari ſolitas.*

i) Comparandi jam ſuperius citati notiſſimi Indorum Gigantes, benignis Numinibus contrarii, quorum mentio etiam occurrit pag. 106. Libri erudititiſſimi, qui inſcribitur: *Hollwell intereſting hiſtor. Events relative — to the Prov. of Bengal -- the Mythology of the Gentoos.* Lond. 1766. Adjungendus Cl. Boulanger, *Ant. Devoilée* T. 6. *De la fable des Géans, ou de la Gigantomachie, ſous laquelle on a voulu peindre les revolutions de la nature.* Aegyptios tamen aliquando & aliter ſenſiſſe de Gigantibus, adparet ex verbis Cl. Jablonskii,

Digitized by Google

mirum antiquorum in ſuperſtitionibus, ſacriſque fabulis, conſenſum deprehendimus; quarum originibus explicandis, veſtigiiſque radicitus tollendis hunc librum præcipue deſtinavimus.

Sylloge N. Epiſt. Vol. 4. Lib. 9. p. 200. *Quin imo*, inquit ille, in Epiſtola Cl. Des Vignoles inſcripta, *veteres Aegyptii jam ad fidem Chriſti converſi tanta etiamnum veneratione ideam & nomen Gigantis proſecuti ſunt, ut nomen iſtud Servatori attribuere haudquaquam dubitaverint. In commentario quodam hominis, ut putatur, Gnoſtici, ſed revera Fanatici, de Myſteriis litterarum, dialecto ſuperioris Aegypti exarato, quem in Bibliotheca Bodlejana olim deſcripſi, iſta leguntur: Chriſtus vicit Diabolum jejunans in deſerto, Gigas quippe ſemper victor.* Comp. *Chronologie ſacrée* de des Vignoles. T. 2. 753.

FINIS.

ADDEN-

Digitized by Google

ADDENDA ET EMENDANDA.

P. 17. 12. *Petuſiaco.* Peluſiaco.

P. 33. 2. *Jaſcia.* Faſcia.

P. 34. 11. *Jas.* Eas.

P. 37. 16. *Jeles.* Feles.

P. 38. 1. *Jelis.* Felis. Idem Not. p. 54.

P. 40. fine not. *Allegoria — conſecrataque* — L. Allegoria ſimplici, ab Aegyptiis introducta, & poſtea, ut innumeræ aliæ, retenta, conſecrataque. Comparanda &c.

P. 45. 4. *Caceorum* Calceorum.

P. 47. 8. *Agyptii.* Aegyptii. It. p. 79. Lin. 18.

P. 49. 8. *Baxcis.* 10. *Baxcæ.* L. Baxeis. Baxeæ.

— — 21. *Calles de catte.* Celles de cette.

P. 50. 2. *Fixeé.* Fixée. Ib. 3. *cu.* eu.

P. 52. 9. *Iſta.* Iſte.

P. 59. 14. *Ficulus.* Siculus.

P. 60. Not. *Paſtorum.* Paſtophororum.

P. 69. 12. *Lunæ.* Luna.

P. 70. 13. *Maſchetho.* Manetho.

P. 74. Not. Ευμβόλων. *Συμβόλων.*

P. 77. 6. *Mercuriis.* Mercurii.

P. 80. 19. *Alius.* Alias.

P. 81. 16. *Ex.* Eo.

P. 85. 15. *Alinea.* Del.

P. 98. Not. *Devoila.* Devoilée.

P. 109. 12. ΠΡΟΤΕΓΜΕΝΗΣ. L. ΠΡΟΤΕΤΑΓΜΕΝΗΣ.

P. 110. 4. *Magis.* Magi.

P. 112. Ἐρηγητὰς. Ἐξηγητὰς.

P. 113. Hani. L. Hont.

P. 120. 13. *Paneras.* Paneras.

P. 122. 1. *Heic.* Huic. Lin. 7. *Originem.* Origenem.

P. 123. 17. *Funeſtasque.* Funeſtæque.

P. 134. Fin. *Sucris.* Sacris.

P. 134. Not. *Sacerdotum.* Sacerdotem.

P. 167. 3. *Quia.* Qui.

P. 178. Not. *Obſcurias.* Obſcurius.

P. 196. 2. *quorum. quarum.*

P. 200. 2. *Morum.* L. Suorum.

P. 210. 10. *Celebrant.* Celebrabant.

P. 211. 10. Hoc modo Xenophanes irriſit Aegyptiis Deos ſuos plangentibus, tum in laudato Plutarchi

loco

loco de Iſide, ut & apud eundem Auctorem in fine ſcriptionis de Superſtitione, ubi hæc leguntur: *Xenophanes Phyſicus videns Aegyptios feſtis ſuis diebus plangentes, pectora tundentes, plorantesque, familiariter eos admonuit dicendo: Si Dii ſunt iſti, ne plorate eos, ſi homines, nulla illis offerenda ſunt ſacrificia.*

Ibid. Not. *Sacerdotibres.* Sacerdotibus.
P. 212. Κωμάσία Κωμασίαι.
P. 213. 4. JEBVNI. L. TEBVNI.
P. 214. 5. *Repræſentet.* Repræſentent.
P. 216. Not. *Cruum.* Crucem.
P. 217. 2. *Et.* Ex.
P. 221. ΣΙΓΑΛΕΟΝΤΑ. ΣΙΓΑΛΕΟΝΤΑ.
P. 232. Not. Comparanda verba Clementis Alexandrini a nobis ſuperiore loco citata, pag. 124.
P. 243. 8. *Spicus.* Spicas.
P. 245. *Iſiacis.* Iliacis.
P. 249. 4. *Aſpulathi.* Aſpalathi.
Ibid. Not. H. Hæc non ita cohærent in ipſo Plutarchi loco unde quædam tantum, non omnia Auctoris verba adſcripta ſunt.
P. 251. 18. *Lucerna.* Lucernæ.
P. 257. l. 4. *Qui.* Quæ.
5. *Ita.* iſta. ibid. *Thucrin.* Thuerin.
P. 258. Not. *Xenonaphanes.* Xenophanes.
P. 263. 12. *Nigrum.* Aut nigrum.
P. 266. 13. *Deſumta.* Deſumtas. Ibid. Not. *Aegyptiis.* Aegyptii. Penates. *Mumina.* Numina. *Separaium.* Separatum. *Iterata.* Iteratæ.
P. 267. Ἀυτιπάθειαν. Ἀντιπάθειαν.]
P. 269. *Lignum.* Ligneam.
P. 280. not. *Beſtis.* Beſtiis.
P. 285. not. Ἑκατόμσοις. Ἑκατόμβοις.
P. 288. *Celeſtumque.* Sceleſtumque.
P. 289. 6. *Minime genus.* genus, minime.
P. 290. Not. *Illi Inſtrumentum,* inſtrumentum, illi.
P. 297. Not. *Educendum,* deducendum.
P. 300. Not. *Omne,* Omnes.
P. 302. 16. *Longe,* Longæ.
P. 304. Not. *Aegyptius,* Aegyptii.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA
MAG 20 10790
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google